



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Enchiridion Theologiæ Pastoralis Et Doctrinæ Necessariæ Sacerdotibvs Cvræ Animarum administrantibus

Binsfeld, Peter

Avgvstæ Trevirorvm, 1609

Qvarta Pars de Ivstitia & Iniustitia Clericorum in ordine ad beneficia,
perficitur 13. Capitibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40721

QVARTA
PARS DE IVSTITIA,
ET INIVSTITIA CLERI-
CORVM IN ORDINE AD
BENEFICIA.

DE hac materia legendi canones cum Doctoribus in titulo de præbendis & dignitatibus. Summistæ in verb. Beneficiũ & Clericus. Dominicus Sotus lib. 10. de iustit. & Iure. Nauarr. in Manuali confessionum cap. 25. à num. 112. & alibi.

CAPVT I.

DE INGRESSV AD BENE-
ficia Ecclesiastica.

PRIMA Conclusio, In inrantibus ad beneficia Ecclesiastica ætatis maturitas, morum grauitas, & literarum scientia requiruntur, non tamen in pari gradu, sed diuerso pro distinctione ac diuersitate beneficiorum; cap. Cum in cunctis, de electione, & communi sententia ibidem.

Secunda Conclusio. Quicumque recipit beneficium quod ex sua fundatione, erectione, aut alijs constitutionibus requirit certas conditiones, tenetur illas habere conditiones in acquisitione: aliàs collatio est nulla. Panor. communiter receptus in cap. Cum in cunctis de elect. & Concil. Trident. sess. 25. cap. 5. de reformat.

Tertia Conclusio. In suscipiente beneficium requiritur recta intentio, vt quis nimirum velit fideliter inseruire Domino Deo, in sanctitate & iustitia. Quia beneficium datur propter officium, cap. fin. de rescriptis in 6. Hanc conclusionem tradunt S. Gregor. cap. 1. Pastoralis. Petrus à Soto de institutione Sacerdotii lect. 3. Nauarr. in Miscellaneo. 36. de oratione, & alij alibi. Hinc præpostera veniunt intentione ad Ecclesiastica munia, qui honores, luxum, diuitias, aut aliquid temporale querunt.

Quarta Conclusio. Minus principali intentione licet desiderare beneficium ad necessariam sustentationem in clericali statu. Quia qui altari inseruit, de altari viuere debet. 1. Corinth. 9. cap. Cum secundum. de præbend.

Quinta Conclusio. Qui Ecclesiam parochialem accipit, sine intentione accipiendi ordinem presbyterij, vt eius fructus per annum, aut annos percipiat, & deinde dimittat, mortaliter peccat; & tenetur ad restitutionem
omni-

omnium fructuum perceptorum durante tali intentione, nisi voluntatem mutet, & presbyterium in primo anno suscipiat. cap. Commissa. de elect. in 6. & communis sententia ibid. Idem est iudicium, quando quis in principio rectam habet intentionem, sed deinde proponit non fieri Sacerdos: ab illo temporis puncto tenetur restituere fructus. Gloss. in d. cap. Dominicus Sotus libr. 10. de iustitia & iure. q. 5. art. 6. conclus. 1. & alij alibi. Collator etiam qui scienter confert tali, grauissimè peccat, & tenetur Ecclesiam seruare indemnem.

Sexta Conclusio. Qui obtenta parochiali Ecclesia, & habita eius pacifica possessione, infra annum non promouetur ad Sacerdotium, ipso iure statim est ea priuatus sine vlla alia admonitione, & si quos fructus post annum recipit, tenetur restituere. cap. Licet. de elect. in 6. Potest autem Episcopus ratione studiorum ad septem annos dispensare: modò in primo anno promoueatur ad Subdiaconatum, cap. Ex eodem, ibidem.

Septima Conclusio. Qui recipit beneficium simplex, animo nunquam seruiendi Ecclesie, sed tantum fructibus eius fruendi peccat. Panorm. & Gloss. in cap. Relatum. de clericis nò residentibus, Nauarr. in Miscellaneo. 44. & alij alibi.

Octaua Conclusio. Qui bona intentione, id est, animo inseruiendi accipit beneficium, sed

in progressu iusta de causa mutat intentionem non peccat. Nauarr. loc. cit. Quoniam talis actus non habet malam circumstantiam.

Nona Conclusio. Si quis sit dignus ad regendum animas, appetere beneficia curata inferiora, siue Parochias, non est peccatum. Hæc conclusio videtur esse contra S. Thom. 2. 2. q. 185. art. 1. Cuius doctrinam moderantur Scotus libr. 9. quæst. 7. artic. 3. Aurea Armilla & Caietan. in summa. verb. Beneficium. Contra dicta Conclusio. Ex Concilio Tridentino sess. 24. cap. 18. de reformat. vbi inuitat ad concursum beneficiorum curatorum: Quod fieri non posset, si appetitus esset malus. Hinc patet à fortiori, quod quis potest appetere & procurare beneficia sine cura, quando debitas habet conditiones.

CAPVT II.

DE ACCEPTIONE PERSONARUM, quæ committitur in beneficiorum acquisitione.

CONTINGIT vt plurimum ex acceptione personarum, quod indignæ persone promoueantur ad beneficia, quare paucis de hoc vitio dicendum.

Acceptio personarum, est iniustitiæ crimen in præsentem, quo in distributione beneficiorum

non causæ ad rem pertinentis, sed personæ, aliarumque eius qualitatatum habetur ratio: vel clarius & breuius ex Alexand. Halen. 2. part. quæst. 136. memb. 1. est iniustitia, qua præferitur persona personæ, propter causam indebitam.

Solet committi acceptio personarum, quando non merita earundem, morum honestas, aut scientia considerantur in ordine ad utilitatem Ecclesiæ; sed ea, quæ extrinsecus adiacent; ut sunt diuitiæ, amicitia, potentia, generis nobilitas, consanguinitas, seruitus, & huiusmodi.

Prima Conclusio. In collatione beneficiorum Ecclesiasticorum non raro contingit, acceptio personarum. 8. quæst. 1. cap. Moyses. & cap. Licet. & constat, quia multi prælati Ecclesiastici, & alij collatores ædificat Sion in sanguinibus; & ratione consanguinitatis, aut affectus carnalis conferunt beneficia, vel eligunt personas ad dignitates. cap. Graue nimis de præbendis.

Secunda Conclusio. Omnis qui sciens, aut debens scire confert beneficium indigno, aut eum scienter promouet ad beneficium Ecclesiasticum, mortaliter peccat. Caietan. 2. 2. quæst. 63. art. 2. Sotus lib. 3. de iustit. & Iure. q. 6. art. 2. Nauarr. de oratione, Miscellaneo. 35. & alij alibi. Quia læditur non solum charitas sed etiam iustitia, cum infidelis sit distributio
indig-

indigno facta. Eadem est ratio de eligentibus indignos.

Tertia Conclusio. Qui confert indigno beneficiū; vel similit̄ ad dignitates eligit, vltra peccatum mortale, quod committit, tenetur eū Ecclesiæ ad restitutionem omnium damnorum, quæ ex mala promotione, aut electione sequuntur, secundum communem Doctorum sententiam; quia læditur iustitia, & quæ causam damni dat, damnum dedisse dicitur.

Quarta Conclusio. Qui promouet, aut eligit indignum ad beneficium, aut dignum scienter omisso digniori, mortaliter peccat. Caietan. in summa verb. Beneficium. Sot. loc. cit. & alibi. Nauarr. Miscellan. 38. Quia quisque in conscientia digniorem tenetur eligere, quem nouerit secundum iudicium conscientie, secundum communem tam Theologorum, quam Canonistarum sententiam: quicquid Gloss. in can. licet. 8. quæst. 1. & in cap. Nobis de elect. & aliqui canonistæ contradicant. Canonistarum communem esse sententiam demonstrat Decius in cap. Constitutis. 2. de appellat. & attestatur Nauarr. loc. d. Quia humiliori promotio est contra iustitiam distributiuam, vt tradit S. Thom. 2. 2. q. 63. art. 2. peccata autem contra iustitiam sunt mortifera secundum eundem ibidem. q. 59. art. 4. nisi exiguitate damni excusentur. Hanc conclusionem Caiet. & Sotus moderantur, quod in sum-

plicibus beneficijs solū venialiter peccet, qui promouet dignum postponendo digniorem.

Quinta Conclusio. Quando eligitur dignus omisso digniori collatio tenet, nec rescinditur. S. Thom. in d. quæst. 63. artic. 2. ad 3. communiter receptus, & constat capit. Cum olim. capit. Cum dilecti. de elect. & cap. Nonnulli. de cleric. non resident. & sic intelligenda iura, quæ videntur saltem requirere, vt dignus eligatur.

Ratio huius conclusionis redditur, quia aliàs quælibet electio pateretur calumniam, cum haud facilè sit iudicare semper quis dignior. Ex dictis in primis infertur cum mortaliter peccare, qui eligit aliquem, de quo non habet notitiam, siue per se, siue per alios: qui cum ipso conuersati sunt, secundum Panormitan. capit. Bonæ memoriæ. 2. de postulat. prælatorum, & capit. Scriptum. de elect. Quia talis non potest secundum suam conscientiam eligere bonum; aut meliorem, cum personam non nouerit. Informatio ergo recipienda de persona, quæ eligenda, aut cui beneficium conferendum. Deinde quando aliquis in collatione, aut electione bona fide, & sincero animo procedit adhibita diligētia morali secundum argumenta humana, etiamsi erret non eligendo, aut promouendo digniorem, non peccat mortaliter: quia iudicia humana diriguntur.

guntur humanis argumentis, quæ quandoque fallunt.

Sexta Conclusio. Collator beneficiorum Ecclesiasticorum præsertim habentium curam animarum, non statim atque sciuerit illa vacare, debet conferre: nec etiam primo supplicii absque consideratione vlla distribuere. Probatur Conclusio in primis iure naturali: Qui enim tenetur aliquid facere bene, debet præmittere id, sine quo illud fieri nequit, cap. Preterea, de offic. deleg. At ex superioribus constat, non posse fieri collationes bene, nisi in primis merita personæ cognoscantur, & considerentur, ac conferantur. Ad idem facit illud Apostoli. i. ad Timoth. 5. Nemini citò manus imposueris, vbi S. Thomas sic inquit. Agit de promotione, & monet. Quod sicut non debet cito punire: ita non debet cito promouere. Neq; communicaueris peccatis alienis. In quæ verba addit idem S. Thomas: Quis inordinatè promoueat, & ex hoc contingit peccatum eis, vel in plebe, hoc tibi imputabitur. Hæc etiam Conclusio manifesta est ex Concil. Trident. sess. 24. capit. 18. de reform. quod vult beneficia conferri per concursum, & examen. Vide pro hac Conclusione Nauar. in Miscell. 40. à nu. 3.

Septima Conclusio. Si quis confert beneficium consanguineo ratione sanguinis: vel

diuiti, aut potenti ob diuitias, & respectum humanum, committit acceptionem personarum, 8. quæst. i. capit. Moyfes. ex S. Hieronymo in cap. i. ad Titum. & ibidem in cap. Apostolica. & S. Thom. in d. quæst. 63 communiter recepto. Summistæ in verb. Acceptio personarum. & euidentis est ex descriptione acceptionis personarum posita. Quando autem cōsanguinei sunt æquè digni, atque reliqui sine acceptione. personarum prælatus potest eos præferre: Quia cæteris paribus est locus gratificandi ratione amoris: Nisi scandali periculum obsit. Eadem est ratio in electione.

CAPVT III.

DE PLVRALITATE BENEFICIORUM.

ANTE resolutionem notandum ex S. Thoma quodlib. 9. artic. 15. quod triplex est actionum ordo. Quædam enim deformitatem habent inseparabilem, vt mendacium, fornicatio, &c. Quædam sunt indifferentes; vt deambulare, ridere, &c. Quædam absolutè consideratæ habent quandam deformitatem adiunctam, si tamen debitis circumstantijs vestiantur licitè fieri possunt: vt occidere absolutè est illicitum, si quis tamen defensionis gratia, aut causa executionis iustitiæ occidat, licitum est.

Prima

Prima Conclusio. Habere plura beneficia, quàm vnum, non est de genere earum rerum, quæ sunt per se malæ: Quoniam in aliquibus casibus licitum est habere plura, vt infra patebit.

Secunda Conclusio. Pluralitas beneficiorum est ex gradu rerum habentium speciem mali & periculofarum: constat ex capit. De multa. & cap. Extirpandæ. de præbend. & dignitatib. & in Extrauag. Execrabilis. eodem ubi mala numerantur, quæ ex pluralitate nascuntur. Quare in capit. Quia prohibetur. multa multitudo præbendarum canonibus inimica dicitur. Rectè ait, S. Bernard. à S. Thom. loco dicto citatus. Qui non vnus sed plures in beneficijs est, non vnus, sed plures erit in simplicijs.

Quoniam multi præsertim hoc exultantissimo tempore aut in Ecclesia Dei de statu Ecclesiastico, immemores sui ordinis, vocationis & periculi, in quo versantur, qui plura beneficia possident, quibus ne in minimo quidem satisfaciunt, pro maiorum & fundatorum intentione, quique multò plura desiderant, nec desiderare cessant, donec infernus eorum animas absorbeat, vtile & necessarium visum est hoc loco in hac tertia editione rationes aliquas adiungere, quibus beneficiorum pluralitas detestanda ostenditur. De hoc autè argumento latius scripserunt Gulielm. Particuli.

fiens. Episcopus in libr. de collatione Beneficiorum. S. Thom. quodlib. 9. artic. 15. Guilhelmus Perald. Lugdunensis Episcopus tom. 2. de virtutibus & vitijs in tract. de auaritia à capit. 11. Dionysius Carthusian. in tract. contra pluralitatem benefic. & in dialogo de eadē materia. Cardinal. Alexand. & Turrecrem. in cap. Singula. d. 89. Aluarus Pelagius, de planctu Ecclesiæ. lib. 2. art. 9. Ioan. Selua. de beneficio. 3. par. q. 39. Ioan. de Lignano in tractat. de plural. benefic. in 4. vol. Oceani iur. Canonistæ in cap. De multa, & in cap. Extirpandæ. de præbend. Angel. in verb. Beneficium à §. 34. Syluester eodem verb. 4. & alij alibi.

Ante omnia præsupponendum cum S. Thoma in dict. art. 15. quem Cardinal. Alexandrin. Turrecrem. Syluester & alij in hoc sectantur, quod hæc quæstio in iure diuino, expressè non inuenitur determinata, cum in sacra scriptura expressa mentio de ea non fiat, quamuis ad eam illustrandam argumenta ex auctoritatibus scripturæ adduci possint, quæ tamen non dilucidè veritatem ostendunt.

Prima Ratio. Ex ijs quæ ex sacris literis defumi videntur contra pluralitatem Matth. 6. Nemo potest duobus dominis seruire: Aut vnum odio habebit, & alterum diliget: aut vnum sustinebit, & alterum contemnet. Quæ verba septima synodus cap. 15. ad propositum allegat, cuius definitio inseritur in capit. Cle-

cus. 21. q. 1. his verbis: Clericus ab instanti tempore non connumeretur in duabus Ecclesijs. Negociationis enim hoc est, & turpis lucrum proprium, & ab Ecclesiastica consuetudine penitus alienum. Audiimus enim ex ipsa Dominica voce, quod nemo potest duobus dominis seruire, &c. Et post pauca. Vnusquisque enim secundum Apostolicam vocem in quo vocatus est, in hoc debet permanere, & in vna locari Ecclesia. Quæ enim per turpe lucrum in Ecclesiasticis rebus efficiuntur, aliena consistunt à Deo: Ad vitæ verò huius necessitate studia sunt diuersa, &c. Facit & illud Esaiæ, capit. 5. Vah qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis vsque ad terminum loci, nunquid habitabitis vos soli in medio terræ? Et quomodo ergo non erit vah eis, qui accumulunt beneficia beneficijs, & coniungunt dignitates ad dignitates, & copulant etiã more auarorum negociatorum minimas modicasque præbendas maximis, ac si ipsi soli in medio Ecclesiæ viuere ac dominari deberent?

Secunda Ratio. Ex iure naturali. Contra ius naturæ est, quod vnum membrum habeat locum in diuersis corporibus, vt lippis & tonso-ribus notum est. At vna Ecclesia vnum corpus est, arg. sumpto ex Apostolo. Roman. 12. Corinth. 12. & ad Ephes. 4. Personæ autem deputatæ per beneficij titulum ad Ecclesiæ ministerium sunt membra Ecclesiæ, arg. eorum

quæ loc. cit. Apostolus profert. & cap. Singula.
ex B. Gregorio. d. 89.

Tertia. Eidem iuri naturali repugnat quod
caput vnus corporis, sit membrum alterius.
At per pluralitatem beneficiorum contingit
quod prælatus, qui est caput suæ Ecclesiæ, sit
manus in alia, id est canonicus, vel cātor. Hinc
rectè in cap. Ad hæc licet, de præbend. Grego-
r. Salernitano Archiepiscopo scribit, quod
illud est omni rationi cōtrarium, vt vnus cle-
ricus in vna, vel diuersis Ecclesijs, plures dig-
nitates, vel personatus obtineat: quoniam sin-
gula officia in Ecclesijs assiduitatem exigant
personarum.

Quarta. Nihil magis natura abhorret quam
monstrum. At pluralitas beneficiorum gene-
rat monstra, tollit enim vni Ecclesiæ aut ca-
put, aut oculum, aut aliquod membrum, sic-
que eam monstruosam reddit. Qui enim plu-
ra beneficia habet in diuersis Ecclesijs, cum
pro eodem tempore in diuersis locis esse non
possit, in vna Ecclesia tantum residere & offi-
cium explere potest.

Quinta. Pluralitas beneficiorum sacris ca-
nonibus inimica est. cap. Quia in tantum, de
præbend. Hinc iura canonica passim prohi-
bent pluralitatem. cap. Sanctorum. dist. 70.
21. quæst. 1. cap. Clericus. & capit. Clericum.
& de præbend. d. capit. Quia in tantum. &
cap. Ad hæc. cum seq. & cap. De multa. & in

Extravag. Ioan. 22. quæ incipit: Execrabilis
de præbend. & Concil. Tridentinum, sess. 24.
de reformat. capit. 10. in dictâ Extravag. Ex-
crabilis. inconuenientia significantur, quæ
quæ ex pluralitate beneficiorum sequuntur.

Primum. Interdum vnus qui vnicum quæ-
uis modicum officiũ vix implere potest, pluri-
morum sibi vendicat stipendia, quæ multis li-
teratis viris vitæ puritate, ac testimonio bonæ
famæ pollentibus, qui mendicant, possent
abundè sufficere, si æqua fieret distributio. Vt
plurimum talis est inordinatio in Ecclesia, quæ
asini quo sunt maiores, eo pluribus sunt con-
stiti beneficijs.

Secundum. Iphis habentibus materia vagari
di paratur. Cum in diuersis distantibusque lo-
cis beneficia possideant, necesse est sæpius huc
atque illuc discurrere reditus colligere, nego-
tia procurare nunc hîc, nunc illic aliquo tem-
pore residere, atque ad talem corporis diuaga-
tionem, sequitur etiam animi inconstantia &
morum dissolutio inducitur. Imo vt hoc ad-
datur deprauatio disciplinæ Ecclesiasticæ se-
pè inde nascitur: Qui in diuersis locis benefi-
cia tenent, diuersorum etiam morum formam
induunt, pro varietate hominum, cum qui-
bus conuersantur. In vno loco disciplina om-
ninò iacet, in alio quod dolendum est, tamen
verum est, in Germania pro parte canonici
sunt Hæretici. In tertio propriam Ecclesiam
vbi

ubi resideant non habent, sed vice residentiae in oppido designato tanquam securales, & oves errantes vagantur, donec tempus impletum sit. Hinc quando ad Ecclesiam, ubi adhuc parum pietatis & veteris disciplinae est, redeunt, vnus longas latasque lactucas colligit, secundus dissectas caligas inuehit, tertius rubeas adportat, quartus verecundia suffunditur, si clericali veste incedere debeat, sic breui veste indutus, gladioque accinctus limina Ecclesiae petit, ibique clericum induit, & exteriorem secularem habitum relinquit donec egrediat, & sic de reliquis. Vnde horum exemplo, quandoquidem iuuetus est prona ad malum, alij corrumpuntur, & canonica disciplina aboletur.

Tertium Inconueniens. Diuinus cultus minuitur, qui potius foret audendus, capit. Ex parte, de constitutione dum vnus multis beneficijs praest, quia numerus Deo in loco seruientium decrescit in Ecclesia, ubi DEVS laudandus. Sicut enim caelum ornant stellae: sic Ecclesiam splendidiorem reddunt personae diuinum ministerium puro corde, morum grauitate, animi alacritate, ac mentis deuotione, nec non voce exequentes, & fructus labiorum suorum altissimo reddentes.

Quartum. Hospitalitas debita in ipsis beneficiis locis non seruatur ob absentiam beneficiariorum.

Kk 3

Quin-

Quintum. Detrahitur honori & commodis Ecclesiarum.

Sextum. Iura & libertates Ecclesiarum perduntur & negliguntur.

Septimum. Ruinis patent ædificia nobilia, quæ magnificentia maiorum & antecessorum extruxerat.

Octauum. Quod amarius dolendum est, cura animarum negligitur. Hæc pluralitas, animarum continet periculum d.c. Quia in tantum, & cap. Dudum. 2. de elect.

Nonum. Vitiorum sentibus fomentum periculosè præbetur.

Decimum. Additur à S. Thoma. in d. art. 16. S. Antonin. in 3. part. tit. 15. cap. 1. §. 8. Cardin. Alexand. & Turrecrem. loc. cit. Gabr. in 4. d. 15. quæst. 8. art. 3. notab. 3. & latius super canon. missæ lect. 28. in lit. P. & alijs alibi. Videlicet defraudatio voluntatum testatorum, & fundatorum, qui ad hoc sua bona Ecclesijs contulerunt, vt certus numerus Deo seruietium in ea Ecclesia esset. Qui autem in absentia fructus percipiunt, diminuunt illum numerum: ita quod aliquando vbi deberent esse triginta aut quadraginta canonici ex fundatione & primæua institutione, vix sint reliquæ sedecim in Ecclesia, vt experientia compertissimum est in multis locis, & sic vt Gabriel in d. lect. ait, violatur iustitia, frangitur fides, fraus committitur, animæ defunctorum

etorum à pœnis tardius liberantur, à cœli gaudijs diutius suspenduntur, ac per hoc tota cœlestis curia lætitia, quam de eorum haberet præsentia, spoliatur, & Dei cultus minuitur.

Sexta ratio contra pluralitatem. Ea est inimicitia etiam legibus civilibus, quæ improbant, ut quis duas militiæ præfecturas simul habeat. C. Qui militare non possunt. l. His quidem. libr. 12. aut duo collegia. l. 1. ff. de colleg. illicitis, &c.

Septima. Illud illicitum & inhonestum de quo erubescendum est. Quandoquidem verecundia non est nisi de inhonesto, auctore Aristotele libr. 2. Rhetoric. Sed de pluralitate beneficiorum in Ecclesia, est erubescendum, arg. cap. Singula, versus finem. dist. 89. & auctoritate Chrysof. allegata à D. Thom. in d. artic. 15. afferentis: Quod tenebra erubuit: lumen erubescat: Quod figuræ non fuit concessum, rei reor esse illicitum. Figuræ autem, id est, veteri testamento non fuit concessum, quod inter leuitas qui capiebat in Bethlehem, caperet in Hierusalem: Cum ergo perfectiores esse debeamus, qui capit in Tyro, non capiat in Damasco. Hæc Chrysof. Sed pro dolor, nunc quidam avaritia, ambitione, & inordinata viuendi ratione excæcati induratiq̄ue, ita perfricuerunt frontem, quod nec erubescerent, si omnia beneficia et-

iam ampli ac opulenti Episcopatus tenerent, sed potius exultarent: Sed id non mirum, cum etiam quibusdam hoc tempore, quo omnis antiqua canonum patrumque disciplina ab Ecclesiasticis reijcitur, non erubescendum videatur, quamvis plurimis beneficijs ornati, potius onusti sint, nec non egregijs honorum titulis insigniti, si publicè cū multorum scandalo eorum concubinæ in curibus & rhedis vehantur, & circumducantur. Et tamen ille insignis, si Dijs placet, comitatus patrimonio CHRISTI, non solum viuit, sed etiam luxuriatur. Multa contra beneficiorum pluralitatem congerunt Guilhelm. Parisiensis & Carthus. vbi supra. Atque sic libet cōcludere verbis Ioannis Diaz. Episcopi in practic. criminal. capit. 42. quæ etiam adfert Rebuff. in pract. beneficior. 2. part. titul. de dispensat. ad plura beneficia. Quid enim rationi naturali magis aduersum, quam quod vnus & idem varia Ecclesiæ stipendia in varijs & distantibus saepe locis, & quibus varia incumbunt onera, in seipso sulcipiat? Quæ est enim humana Respublica quæ tuos iudices, rectores, & alios officarios stipendijs in absentia frui & vagari permittat? quis in sua quantumuis ampla & ditissima domo, vni ministro absenti salaria plurium persoluit? ac ab eo quoscunque suo nomine subrogatos admittit? Sola domus Dei Ecclesia sancta tali inordinatione suo priuatur ministerio,

sterio, ac debitis fraudatur obsequijs, quid debet Ecclesia Dei plurium nobilium vanitati, vt patrimonio IESU CHRISTI dilectissimi sponsi sui, q̄ flagellis, alapis, sanguinis quoque effusione quæsiuit, eorum alat accipitres, educet canes, saginet equos, nutriat lenones, ac adultores, & seditiosos homines, qui passim rempublicam turbent? Sic ille.

Tertia Conclusio, Qui habet beneficium curatum, dignitatem, aut personatum in pacifica possessione, est inhabilis ad simile beneficium, etsi aliud acceptet, ipso iure est priuatus primo, & si pergit retinere, perdit vtrumque, & fit incapax ad quodcunque aliud, & etiam ad ordines ex dict. Extrauagan. Execrabilis. & capit. De multa. & capit. Cum iam dudum. de præbend. capit. Ordinarij. de officio ordinarij in 6. Concil. Trident. sess. 7. capit. 4. & 5. de reformat. & sess. 24. cap. 17. de reform.

Beneficium curatum est, quod habet curam animarum siue in foro conscientia, siue in foro fori.

Dignitas, est quædam præ eminentia cum administratione in choro, stallis, & capitulo, & vocatur aliquo nomine dignitatem significante, & pro ea habetur secundum consuetudinem loci.

Personatus & dignitas, vt plurimum pro eodem accipiuntur, tamen etiam aliquando officium significat in Ecclesia collegiata per-

sonatus, vt primiceriatus. cap. Cum accesserunt. de constitut. Personatus autem in propria significatione, aut officium, aut dignitatem in Ecclesia collegiata denotat, iuxta c. De multa. de præbend. & cap. Dudum. 2. de elect. & Doctores ibidem. Quare in dictis canonibus non compatitur secum aliud simile beneficium, quia vnumquodque eorum requirit seruitium, & residentiam in loco. Hinc Bald. in dicto capit. Dudum 2. num. 12. Personatus est quædam excellentia in Ecclesia cum administrationis annuæ gradu: & dicit Magister sententiarum persona idem est, quod personans. De his latè DD. canonum in d. capit. De multa. & capit. Dudum. 2.

Hoc tamen addere placet non esse personatus, de quibus canones loquuntur, Ecclesias curatas, quas in nostris partibus nomine personatus donamus, existentes in ea opinione, cōtra sacros canones & communem DD. sententiam, quod personatus non requirant residentiam: Quare hunc titulum personatus tribuimus melioribus & pinguioribus beneficijs curatis, vt oues sub tali calore rectius tondere, & mercenarios introducere valeamus. Sed Deus qui non est acceptor personarum, suo tempore reddet vnicuique secundum opera sua. Videtur autem hoc nomen personatus relatum ad curam pastoralem ex consuetudine Anglicanæ Ecclesiæ, vbi curati dicuntur

tur personæ, vt sentiunt Innocent. Ioan. Andræas, Cardinalis Zabarella & alij in d. cap. De multa.

Quarta Conclusio. Pluralitas beneficiorum Ecclesiasticorum incompatibilium, & requirunt residentiam cum dispensatione potest esse licita. Constat. ex dict. capit. Ordinarij, & Concil. Trident. in d. sess. 7. ca. 5. & communi sententia; Talis autem dispensatio debet à sede Apostolica impetrari, cum cognitione & relatione causæ: & valoris beneficiorum: Nec sufficit in his iusta causa, nisi dispensatio coniuncta sit propter ius positium.

Quinta Conclusio. Qui sine iusta causâ impetrat dispensationem etiam à pontifice, in foro conscientia, & apud Deum, licet in foro exteriori non molestetur, non est tutus, S. Thom. loc. citat. Gabriel, vbi supra artic. 3. Henric. de Gandauo quod li. 2. Sot. lib. 3. de iust. & Iure. quæst. 6. artic. 3. Nauarr. in Manuali confess. capit. 25. num. 128. & in Miscellaneo 60. de orat. Panorm. Ioan. Andræas, Hostiens. in cap. Cum dudum. de elect. Summistæ in verb. Beneficium. & alij alibi. Quia Pontifex non est beneficiorum Dominus, sed dispensator, & dispensatio sine iusta causa non dispensatio, sed dissipatio est, cum sit contra voluntatem Domini, vnde S. Bernard, ad Rubertum ait. Quid tibi blandius de dispensatione, cuius conscientia tenetur diuina sententia ligata.

Iusti.

Iustitia autem causæ semper est metienda in ordine ad vtilitatem Ecclesiæ, & non ad commodum priuatæ personæ, vt canones & DD. tradunt. Quare potentia, eminentia, eruditio, industria, & prudentia parum ad hunc effectum conferunt, si magis obsint, quàm prosint Ecclesiæ, vt proh dolor hisce temporibus non rarò luce meridiana clarius cognoscimus. Si quis autem plura beneficia possideat ad splendidiorum victum, luxum, pompam, & generis splendorem: aut ad augendum ditandumque statum coniuictorum sanguine, non erit tutus apud potentissimum iustissimumque Deum, licet in suo splendore & pompa, apud cæcun mundum, beatus prædicetur, vt communis doctrina est.

Sexta Conclusio. Quandocunque vnum beneficium etiam simplex sufficit ad decentem sustentationem, non est licitum aliud habere, secundum communem sententiam, & Concilium Tridentinum. session. 24. cap. 17. de reformat. Quia beneficia sunt instituta, vt qui altari inseruit, de altari viuat: Quando ergo vnum beneficium ad honestam vitam sufficit, non est ratio possidendi aliud. Quod autem beneficium sit sufficiens ad decentem sustentationem, non auarus, non gulosus, nò superbus, sed pius, prudens & timoratus iudicabit. Qui autem impiæ cupiditatis affectu, ea quæ bene constituta sunt, varijs artibus eludere, &

plura

plura simul beneficia obtinere nō erubescunt, seipsos & non Deum decipiunt, vt Concilium Tridentinum session. 24. de reformat. cap. 17. rectè attestatur.

Septima Conclusio. Potest quis tenere duo beneficia simplicia non requirentia residentiam, quando vnum non est sufficiens ad sustentationē, etiam sine dispensatione. capit. Gratia. de rescriptis in 6. & hæc est communis DD. sententia in cap. Iam dudum. &c. Extirpandæ. §. qui vero, de præbend. vt testis est Nauarr. loc. cit.

Octaua Conclusio. Si quis habet dignitatem, aut beneficium curatum, quod ad decentem sustentationem non est sufficiens, potest obtinere aliud simplex, modo personalem residentiam non requirat. Concil. Tridentinum loco citat.

Nona Conclusio. Non solum peccant, qui quarunt, & parant inordinatè sibi plura beneficia, sed etiam cognati, amici, & Domini, qui eis in hoc fauent, vt in specie tradunt Doctores. Parisiens. in 4. sentent. d. 24. q. 40. & Nauarr. in Enchiridio de orat. cap. 22. num. 61. & in Miscellaneo. 60. Quia digni sunt morte nō solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. Rom. 1.

Decima Conclusio. Qui plura beneficia possidet, quorum vnum sufficit ad decentem sustentationem sine iusta causa & dispensatione,
plu-

pluries eodem die tenetur dicere horas canonicas, secundum Guilhelm. Parisien. in tract. de collation. beneficiorum. Dionys. Carthuf. de pluralitate beneficiorum. art. 8. Nauarr. loc. cit. In eandem sententiam ire videtur Albert. Ferrariens. de horis canonicis num. 34. dum ait, usum huius seculi seruare, vt qui habet plura beneficia, semel tantum horas dicat, se autem nescire, an vsus futuri idem seruet.

Quia vnumquodque beneficium, sicut suū habet commodum, ita etiam onus. Onus autem annexum beneficio Ecclesiastico est oratio horarum canonicarum, iuxta omnium sententiam: Qui ergo duo obtinet beneficia iniuste, duo vt ferat onera necesse est, iuxta illam regulam. Comoda qui sentis iungas onus emolumentis. ff. de regul. iuris. Quemadmodum ait, Episcopus Parisien. quot feuda vnusquisque tenet, tot debet inde seruitia: Sic quot præbendas, vel beneficia vnusquisque detinet, tot debet inde Ecclesiastica seruitia. Ex hac conclusione cum prædictis auctoribus infertur eum, qui inordinatè plura beneficia habet, & semel tantum in die horas recitat, ex duplici capite ad restitutionem fructuum obligatum esse, tum quia iniuste possidet beneficia, tum quia non recitat horas pro multitudine beneficiorum.

Vndecima Conclusio. Qui canonicè, & iuste ex dispensatione, aut iuxta consuetudine, que
vim

vim dispensationis obtinet, si non repugnet iuri naturali, aut diuino, plura beneficia obtinet, non tenetur nisi semel dicere horas canonicas. S. Thomas quodlib. 1. artic. 13. communiter receptus. Ioan. à Lignano de horis canonicis. Nauarr. loc. citat. & alij alibi: Quia in hoc casu dispensatio, aut iusta consuetudo, si vnum non sufficit ad sustentationē, ex duobus facit vnum ob necessitatem, pietatem, & vtilitatem. Aut in hoc casu plura beneficia dicuntur vnū, sicut in magnis frigoribus multæ tunicæ vna dicuntur morali vnitatem, vt post Gersonem. Gabriel lect. 28. in lit. P. super canonem missæ, loquitur.

Duodecima Conclusio. Qui habet vnum beneficium non sufficiens ad sustentationem, si secundum per se sufficiens consequatur, debet prius dimittere, etiam si iure, consuetudine, aut dispensatione essent compatibilia: Quia omne beneficium sufficiens per se ad decentem sustentationem, non est compatibile cum alio absque culpa mortali, vt constat ex Glossa, capit. Dudum. 2. de elect. cuius doctrinam Conc. Trident. sess. 24. cap. 17. de reform. confirmavit. Vide Nauarr. in Miscellaneo. 61.

Ex qua conclusione, & alijs supradictis liquidum est, eum, qui obtinet curatum beneficium, vel dignitatem per se sufficientem, non posse petere, aut obtinere etiam aliud
sim-

simplex simul cum priori : Cum Concilium Trident. concedat tantum simplex, quando curatum, aut dignitas non est sufficiens ad sustentationem.

Decimatertia Conclusio. Qui inordinate contra iura & canones plura obtinet beneficia, si hoc constet, non est absolendus in foro conscientia, nisi quæ sic obtinet, demittat, secundum communem sententiam. Quia qui in statu peccati vult manere, non est contritus, & ideo non absolendus: Talis autem est, qui inordinate plura tenet beneficia, si non habeat animum dimittendi.

CAPVT IV.

DE SIMONIA.

IN acquisitione, aut demissione beneficiorum solet quandoque Simonia intercedere, proinde hoc loco de ea agendum.

De materia Simonia legendi canones, prima causa per aliquot quaestiones, & in tit. de Simonia Doctores canonum ibidem. S. Thomas 2. 2, q. 100. Alij Theologi in 4. d. 25. Dominicus Sotus lib. 9. de iustitia & iure. à q. 5. vsque ad finem. Franciscus Victoria in relect. de Simonia. Summistæ in eodem verb. Nauarr. in Manuali confess. cap. 23. à num. 99. & nos la-

tissimè agimus in commentario. tit. iuris canonici de Simonia.

Simoniæ peccatum nomen accepit à Simone Mago, qui potestatem conferendi Spiritum sanctum voluit emere ab Apostolis, ut patet. Quare respõsum accepit à sancto Petro: Pecunia tua tecum sit in perditionem; quia existimasti donum Dei pecunia possideri.

Simonia est studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum, ut communiter DD. definiunt, pro intelligentia, definitio paucis explicanda est.

Dicitur (studiosa) quia ad Simoniam requiritur deliberatio, (voluntas) ad includendum Simoniam mentalem, quæ non transit in opus exterius. (Emendi & vendendi.) Quia Simonia utroque modo potest committi: Nomine autem emptionis & venditionis intelligitur omnis contractus non gratuitus, & transactio; Renunciatio, Permutatio, &c. (Aliquid spirituale) Spirituale hinc intelligimus omne donum spirituale diuinitus particulari ratione datum & institutum, quod nos ad gratiam in præsentem, & ad gloriam in futuro promouet. Huiusmodi autem spirituale est triplex. Quoddam per essentiam; ut dona Spiritus sancti, gratia, virtutes infusæ: Aliud per causam; ut sacramenta, & sacramentalia. Tertium per effectum; ut prædicare;

Vnde Simonia nomen accepit. Actor. 8.

Quid sit Simonia.

Explicatio definitio- nis Simoniae.

care, orare, diuina peragere, &c. (vel spirituali annexum) hæc particula adiungitur ad comprehendendum ea, quæ non sunt per se spiritualia, sed habent dependentiam à spiritualibus; vel ordinantur ad ea; vt sunt iura patronatus, & sepulturæ, calix consecratus, præbendæ, canonicatus, & beneficia, vnde Sacerdotes viuunt.

Simonia est triplex. Mentalis tantum, Conventionalis tantum, & Realis. Mentalis est Simonia tantum mente concepta, sine vlla conditione tacita, vel expressa, siue aliquid tradatur, siue non, & hæc est duplex: Purè mentalis, quæ tantum consistit in mente, & voluntate, & Mentalis, quæ quidè progreditur ad opus, sine tamen pacto.

Conventionalis tantum, quando intercedit pactum tacitum, aut expressum, & hæc itidem duplex. Vna purè conuenientialis, quando tantum fit conuentio, nihil tamen datur, vel accipitur. Alia quando præter conuenientiam siue pactum, ex vna parte tantum aliquid datur, aut recipitur: Quare dici potest Semirealis.

Realis est, quando accedente pacto spirituale traditur, & temporale accipitur, exempli gratia, Petrus conuenit cum Paulo, vt canonicatum ex quo nihil emolumenti propter absentiam percipit, sibi resignet pro 200. aureis. Paulus resignat, & Petrus pecuniam

niam tradit: hæc est simonia Realis. Similiter est Realis, quando pars pretij soluitur, etiam si non tota summa statim tradatur, exempli gratia, Petrus non est soluendo, dat Paulo tantum ad computum triginta aureos.

Simonia ex suo genere est peccatum gravissimum. Actor. 8. Pecunia tua tecum sit in perditionem, &c. 4. Reg. 5. cap. de Giezi. 13. Reg. de Ieroboam. Nu. 22. in Balaam & alibi, & ex tit. de Simonia.

Ad hæc spirituale nullo modo æstimari potest pecunia, vt constat ex dict. cap. Actor. Quia existimasti donum Dei pecunia possideri: ergo iniquissimum est velle vendere, aut emere spirituale. De gravitate huius peccati plurima adducit Guilhelmus Peroaldus Lugdunens. Episcopus Tomo 2. de virtutibus & vitijs, in tractat. de avaritia. capit. 7.

Tandem in materia Simonix, nomine pecuniam intelligitur quicquid pecunia æstimari potest, secundum communem DD. sententiam. His in communi præsuppositis ad resolutionem particularium per conclusiones descendendum est.

Prima Conclusio. Ministri Ecclesie & altaris, sine vitio Simonix possunt accipere à populo necessaria ad sustentationem. Hanc conclusionem probat Apostolus, cum ait, quis militat suis stipendijs vnquam? Quis plantat vineam

Quid nomine pecunie in definitione Simonix accipiat.

1. Corin. 9.

Ll 2 vineam

vineam, & de fructu eius non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? & post pauca. Nescitis, quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt? & qui altario deferunt, cum altario participant, &c. Dicta conclusio non solum est iuris diuini, sed etiam naturalis: Quare nemo sapiens in ea dubitat.

Secunda Conclusio. Pro spirituali sacramentorum gratia pecuniam accipere, aut dare, crimen Simoniae est. i. q. i. can. Gratia. & cap. Ad Apostolicam. eod. titul. Quia de ratione gratiae est quod gratis detur, alioquin si venderetur gratia non esset gratia. Hinc in Euangelio. Gratis date, gratis accepistis.

Matth. 10. *Tertia Conclusio.* Spirituales actiones, quæ exercentur in sacramentorum administratione, vendere, vel emere est Simonia, ex d. cap. Ad Apostolicam, & communi sententia. Quia iuxta Regulam Caietan. in verb. Simonia, nulla res composita ex spirituali & corporali, si in ea principale sit spirituale, vt in sacramentalibus actionibus, absolutè potest vendi, aut emi: Aliàs intelligitur emi, vel vèdi spirituale, quod est principale.

Quarta Conclusio. Quando aliquid datur ministris Ecclesiae gratis in administratione sacramentorum: aut ex antiqua consuetudine: aut statuto superiorum; accipere non est Simonia, ex d. cap. Ad Apostolicam, & communi

muni sententia DD. quia huiusmodi censentur esse pro sustentatione ministrorum Dei, debet autem abesse intentio praua, nec tale aliquid ab inuitis exigendum per spiritualium subtractionem; sed gratis administratis spiritualibus, nolentes possunt cogi à potestate superiori ad obseruationem consuetorum, ex d. cap. Ad Apostolicam. & S. Thom. communiter recepto. 2. 2. q. 100. art. 3.

Quinta Conclusio. Accipere aut exigere aliquid per modum pretij pro consecratione Episcoporum, benedictione Abbatum, velamine virginum; & alijs actibus similibus; qui benedictione & consecratione perficiuntur, est Simonia. 1. q. 1. cap. Ordinationes. & capit. De ordinationibus. & capit. Quibusdam. & alijs ibidem. cap. 1. de Simonia. & communi sententia. Si autem alicubi sit prisca consuetudo, vt in huiusmodi actibus Hierarchicis aliquid retribuatur, credendum illud tanquam sustentationis stipendium fuisse introductum, ex S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 2. ad 4. communiter recepto, & Soto quæst. 6. art. 1. loc. cit. & alijs alibi.

Sexta Conclusio. Pro collatione ordinum quorumcunque clericalis etiam tonsuræ, dimissorialibus literis, testimonialibus, aut sigillo, nullo prætextu potest aliquid accipi: aut exigi, capit. 1. de Simon. Concilium Tridentin. session. 21. capit. 1. de Reformat. Eadem

est ratio de examine. Notarius autem Episcopi, quando à publico non habet statutum salarium, pro singulis literis demissorijs, & testimonialibus, potest accipere decimam partem aurei, quæ secundum cursum nostræ monetæ videtur facere tres batzios, vt ex praxi Romanæ curiæ colligere possumus, vbi pro singulis testimonialibus iulius accipitur.

Quando autem notarius plus accipit ascendendo pro gradu & dignitate ordinum, exempli gratia, plus pro testimonialibus Diaconatus, quam Subdiaconatus, & plus pro Presbyteratus, quàm Diaconatus, Simoniacus est. Quia in tali casu taxatur, & venditur dignitas ordinum; quæ vendi & taxari non potest. Notario autem nihil competit nisi ratione laborum. Vide Nauarr. in Manuali, capit. 23. num. 102. & capit. 25. num. 54. & nos in capit. 1. de Simonia quæst. 1. conclus. 5. Ex dicta conclusione & Concilio Tridentin. infero taxas, statuta, & consuetudines etiam immemorabiles quorumcumque locorum, quæ potius abusus & corruptelæ sunt, censendas Simoniacas, & percipientes, plus quàm à Concilio Tridentino statutum est incidere in pœnas à iure contra Simoniacos decretas. Hinc qui pro testimonialibus ordinum & dimissorialibus plus accipiunt, non solum mortaliter peccant, & iniuste faciunt, sed etiam Simoniaci sunt. Quod notandum pro quibusdam, qui pro dimisso-

dimissorij non verentur quandoque extor-
quere aureum aut plus. Et quando Episcopi
directè, vel indirectè in his participant, graui-
us peccant.

Septima Conclusio. Qui dant certas eleemo-
synas alicui Ecclesiæ, aut monasterio adiecta
conditione, vt certa opera spiritualia exerce-
antur, vt missæ, orationes, aut eleemosynæ,
&c. Non committunt simoniam nec dantes,
nec recipiètes. Debet tamè recta esse intentio,
vt huiusmodi eleemosynæ dentur pro susten-
tatione, & causa excitante ad opera pia, & non
pro pretio rerum spiritualium, quæ nulla pe-
cunia æstimari possunt. Constat conclusio ex
cap. Significatum, de præbend. Gloss. & DD.
ibidem. Concilio Trident. sess. 25. cap. 4. de re-
format. & vsu totius Ecclesiæ; cui si quis con-
tradicat, temerarius est. Talis obligatio cum
onere & honore transit ad successores in Ec-
clesia, vel beneficio, ita vt quicumque huius-
modi temporalia percipiunt, teneantur onera
imposita adimplere. Quod si neglexerint, gra-
uissimè peccant, & piæ animæ, quæ talia dis-
posuerunt clamitant in conspectu Dei contra-
cos. Ex dictis infero cum Nauarro in Manua-
li, capit. 25. num. 134. quod mortaliter peccat
Sacerdos, qui non dicit tot & tales missas,
quot & quales, & quo in loco tenetur, absque
iusto impedimento; aut quas omisit, vt debet
non implet.

Tres autem sunt casus, in quibus cessat huiusmodi obligatio pro parte, vel toto, quos ex Gersone colligit Gabriel super canonem missæ lect. 28. *Primus*, quando aliquis est impotens, aut Ecclesiæ pereunt, vel hereditates & redditus perduntur, quibus minister talis Ecclesiæ, & beneficijs sustentandus esset qui officium complere debet. Ex hac parte grauissimè non rarò peccant heredes, aut testamentorum executores, quando pias vltimas voluntates, & pia legata prorogant, quæ debentur pijs locis: Quia Ecclesiæ, vel monasteria, quam diu non percipiunt Eleemosynas destinatas, non tenentur rependere opera spiritualia. *Secundus casus*, quando est vrgentior vtilitas, quæ quandoque prouenit ex temporis successu; vbi oportet, vt canonistæ loquuntur, vt alia ratio reformet pactum, exempli gratia, aliquis instituit missam singulis diebus pro defunctis, conuenit populus in diebus Paschæ, Natiuitatis, &c. non est alius Sacerdos, qui celebret, ratio dicitur, & honestas postulat, vt non legatur, aut non cantetur missa, pro defunctis. *Tertius casus*, est dispensatio superiorum ex iusta causa: Quare Concilium Tridentinum loc. cit. committit superioribus ordinem, vt pro sua conscientia missas moderentur in Ecclesijs & monasterijs, pro quantitate Eleemosynarum, vbi est exorbitans numerus.

Hoc loco annotandum, quod quando benefici-

beneficium simpliciter est institutum cum pacto, vt possidens quotidie celebret, si fundatio aut consuetudo nō habet, vt per se, vel alium faciat officium, vel beneficium est præcisè sufficiens pro vna persona, tale pactum recipit interpretationem secundum ius, vt celebret quando frequentius potest salua honestate, & debita deuotione, vt Panormitan. & alij in dict. capit. Significatum. & Nauarr. loc. citat. tradunt cum alijs alibi.

Octaua conclusio. Clericus, qui magis principaliter vadit ad Ecclesiam, & horas canonicas propter quotidianas distributiones, aut celebrat propter temporale, committit mentalem Simoniam, vt communiter DD. docent. S. Thom. quodlib. 8. artic. 12. Gabriel. loc. citat. lit. L. & D. Panormitan. Felinus, Ananias & alij in capit. Suam. de Simonia. Hostiens. in capit. Olim. de verborū significat. Didacus Couarr. lib. 1. variarum Resolut. cap. 20. numer. 5. Nauarr. de orat. & hor. canon. cap. 6. num. 16. & de pœnitent. dist. 5. capit. final. num. 56. & alij alibi. Si quis autem principaliter ad Ecclesiam pergat, aut celebrat, vt Deo debitam seruitutem & honorē præstet, & minus principaliter propter temporale commodū mouens, referendo illud in sustentationem, vt spiritualibus melius & rectius intendere valeat, non peccat, quia sic mens rectè est ordinata. Attendendum autem cuilibet diligenter,

vt Gabrieli admonet, ne mentiatur sibi iniquitas, vt non ex avaritia & cupiditate, per talia spiritualia opera multiplicet plurimas diuitias superuacuas, & non necessarias, nisi ad pompam, & carnis curam.

Nona Conclusio. Qui nolunt ire ad funebrem processionem, vel officium diuinum peragere, nisi cum pacto de certa pecunie quantitate, committunt Simoniam. 23. quæst. 2. canon. *Quæst. est nobis.* & cap. *Abolenda.* de sepult.

Decima Conclusio. Clerici nihil possunt accipere ratione terræ consecratæ in sepultura mortui, nec etiam pro sepultura; Si autem alicubi sit consuetudo, vt detur aliquid pro vsu sepulturæ, vel Ecclesiæ, quando in ea aliquis sepelitur, seruanda est ex dict. cap. *Abolenda.*

Vndecima Conclusio. Pro ingressu religionis aliquid pretij temporalis dare, aut accipere est Simonia. 1. quæst. 2. canon. *Quam pio.* & cap. *Veniens.* & cap. de Regularibus. de Simonia. Ratio est euidens. Status religionis est res spiritualis, ergo gratis concedendus. Hinc qui recipitur ad religionem cum pacto, vt suum patrimonium, hæreditatem, vel annuos redditus, conferat monasterio, Simoniacus est, & etiam recipientes.

An autem liceat aliquid recipere, aut exigere etiam ex pacto pro sustentatione, quando mona-

monasterium monialium est tenue in rediti-
 bus, qui nō sufficiunt nisi pro certo numero,
 & plures volunt recipi, controuersia est inter
 DD. & cum graues tam pro affirmante, quàm
 negante parte sint auctores, quisque prout
 conscientia dicit, sapere potest, modo adfit
 recta intentio cum significatione & protesta-
 tione, quod non accipiatur nisi pro sustenta-
 tione, quando affirmans opinio tenetur, quā
 amplectitur, S. Thomas 2. 2. quæst. 100. art. 3.
 ad 4. & in 4. sentent. Vt eum interpretantur
 & sequuntur, in eius religione & doctrina enu-
 triti. Sotus libr. 9. de iustit. & Iure. quæst. 6.
 artic. vlt. ad 4. sequentes verò addunt etiam ex
 pacto licere; Cardinalis Caietanus in d. lo-
 cum. S. Thom. 2. 2. Doctissimus Franciscus
 Victoria in Relect. de Simonia, part. 2. num.
 12. qui ait. hanc communem esse opinionem,
 Syluest. in verb. Simonia. quæst. 15. qui plu-
 res in hanc sententiam citat. Angelus vir mi-
 raculis clarus eodem verbo 4. qui sic ait. Sed
 tu tene in conscientia opinionem S. Thomæ,
 qui dicit quod pro ingressu monasterij non
 licet aliquid recipere: aut exigere quasi pre-
 tium, sed pro victu personæ recipiendæ, li-
 cet. Si non sufficiant opes monasterij: & de-
 inde subiungit quod etiam liceat pacisci in
 conscientia. Accedit Nauarr. in tractat. de re-
 ditibus benefic. à numer. 100. & in Apologia
 eiusdem libri monitione 84. qui attestatur,
 hanc

hanc opinionem in Hispania in praxi receptam. Negantem partem tenent Dionysius Carthusianus in libr. 1. & 2. latissimè de Simonia, & alij ab eo citat. Rosella in summa, allegatur etiam S. Antonin. 2. part. tit. 1. cap. 5. §. 18. vbi dicit communè tutiorem, & penè omnium esse sententiam, quod pro ingressu monasterij de temporalibus ex pacto nihil liceat accipere, quod non est contra affirmantem opinionem; Quæ à Dionysio, & alijs adferuntur contra priorem sententiam facilè solvuntur, ex dictis ab Angelo, Syluestro, & Nauarro. Præterea inter omnes conuenit, quod non licet aliquid accipere quocunque titulo quando monasterium est opulentum, & semper melius iudicandum, vt non recipiantur plures, quam de bonis & Eleemosynis monasterij viuere possunt: Si tamen alibi fiat in contrarium recta intentione, & ex causis mouentibus, non statim damnetur: q̄ viri in Theologia & iure dictissimi tradiderunt.

CAPVT V.

DE SIMONIA QUÆ CONTINGIT CIRCA BENEFICIA ECCLESIASTICA.

BENEFICIA Ecclesiastica, cum coniuncta sint Ecclesiasticis muneribus & officijs,

cij, & à spiritualibus dependeant, non raro circa ea simonia committitur.

Prima Conclusio. Dare, aut accipere aliquod pretium temporale pro quocunque beneficio Ecclesiastico, est simonia. 2. quæst. 3. canon. Si quis obiecerit. & cap. De hoc. & cap. Cum essent. eod. tit. Quia beneficia Ecclesiastica sunt coniuncta spirituali, & ab eo dependēt: Quando ergo temporale venditur, spirituale etiam coniunctum venditur, aut emitur, ex d. cap. Si quis obiecerit.

Secunda Conclusio. Si quis conferat, aut accipiat beneficium pro munere ab obsequio; vel lingua, est simonia. 1. q. 1. canon. Ordinationes, & d. cap. Cum essent. Gloss. Panor. & alij ibidem. S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 5. Sotus libr. 9. q. 7. art. 3. Nauarr. in Manuali. cap. 23. nu. 102. & Summistæ in verb. Simonia. Quia munus ab obsequio, vel lingua, æstimatur pecunia, & idem est ad hunc effectum, ac si quis pecuniam daret. Hinc si quis alicui prælato principaliter inferuiat, ut beneficium sibi conferat, aut procuret; simoniam committit. Quod multò fortius fit, quando promissio, aut pactum accedit.

Tertia Conclusio. Prælatus Ecclesiasticus conferens beneficium consanguineo ratione consanguinitatis, non committit simoniam, quicquid aliqui dicant. Hanc conclusionem tradunt, S. Thom. loc. citat. ad 2. Sotus ibid.

Ange-

Angelus, verb. Simonia §. 1. Nauarr. loc. d. numer. 107. & alij alibi. Quia vbi non est spiritualium venditio, ibi non est Simonia. In dicta autem collatione nulla est venditio, cum nullum sit pretium, quod de substantia venditionis est. Committit autem talis prælatus peccatum acceptionis personarum, vt capit. 2. conclusione 7. huius partis traditum est, grauissimè peccans si indigno conferat.

Eadem est ratio de eo, qui ex metu confert beneficium indigno, mortaliter quidem peccat, non tamen incurrit Simoniam, vt Sotus tradit. Conferre autem ex metu digno nonnulla est culpa; quia collatio non fit legitimo fine.

Quarta Conclusio. Qui procurat pecunia electionem sibi, vel alteri ad Ecclesiasticam dignitatem, Simoniam committit, & electio nulla est, cap. De hoc. & cap. Matthæus. eodem tit. Eadem est ratio, si quis dat pecuniam alicui per se, vel tertiam personam, vt consentiat, aut votum det sibi, vel alteri. cap. De hoc.

Quinta Conclusio. Qui dat mediatori, aut intercessori aliquod pretium, vt procuret sibi collationem, Simonia crimine incurrit. Innocent. Panormitan. & Anthonius à Butrio in capit. Tuam. de ætate & qualitat. Felin. cum Innocentio, & in capit. Tanta. de Simonia, Nauarr. vbi supra numero 106. Quia
paria

paria sunt dare collatori, & dare tertio, vt moueat collatorem ad conferendum; Alia tamen ratio est, quando quis daret procuratori pro laboribus, quos impendit in sollicitando, aut ratione gratitudinis, & amicitiae, vt Nauarr. declarat.

Sexta Conclusio. Qui habet ius acquisitum in beneficio, & est in possessione, potest offerre pecuniam pro iniusta vexatione amouenda. cap. Dilectus. 1. & DD. ibidem de Simon, N. S. Thom. q. d. art. 2. ad 5. Sotus q. 6. art. 1. Nauarr. num. 102. & alij alibi. Quia in tali casu non emitur beneficium, sed remouetur obstaculum, quod impedit, ne quis suo iure possit frui. Non est tamen licitum dare pecuniam pro redemptione vexationis, quando ius non est acquisitum, sed adhuc in incerto statu versatur.

Septima conclusio. Qui villam, aut castrum emit aut vendit, cui annexum ius patronatus, non potest carius emere, aut vendere ob ius patronatus, capit. Querelam. de Simon. Quia ius patronatus cum sit res spiritualis, non potest pecunia taxari. Ob eandem rationem non potest separatim vendi ius patronatus à castro, aut villa, sed cum his transit. Clemen. Pastoralis. de re iudicat. Patronatus etiam pro praesentatione nihil temporale accipere potest sine Simonia, secundum mentem omnium.

Ius

Ius patronatus est ius honorificum, onerosum, & utile, competens alicui in Ecclesia pro eo, quod Dioecesani consensu Ecclesiam construxit, fundavit, aut dotavit, vel alius à quo causam habuit. Ratione talis iuris semper presentare potest ad tale beneficium, quod fundavit, aut dotavit.

Octava Conclusio. Priuatæ personæ, si permittant sua beneficia sine auctoritate & consensu superiorum, ad quos pertinet conferre, aut instituere: vel ordinarij secundum praxim quorundam locorum, permutatio est Simoniacæ, & nulla. Clemen. vnica, de rerum permutat. & capit. Quæsitum. & capit. Vniuersorum, eodem tit. Possunt tamen priuatim inire tractatum, vt superiori proponant, modo pactum & promissionem non concludant. Quando autem permutatio pecuniâ, aut aliquo temporali procuratur, vt contingere non raro solet, quando pingue beneficium cum exiguo ferè nullius valoris permutatur, Simonia est, & in tali casu vehemens semper est Simoniacæ præsumptio: Quia nemo libenter id quod melius relinquit, vt deterius acceptet. De qua re Felinus capit. Verisimile. de præsumptionibus, & Rebuffus in praxi benefic. 3. part. capit. de permutatione.

Nona Conclusio. Qui in permutatione beneficij minoris emolumenti in redditibus, cum beneficio pinguiori in recompensationem redditu-

dituum dat aliquod temporale, aut pecunia æstimabile, Simoniam committit. Hæc Conclusio est contra Panormitan. capit. Ad quæstiones, de rerum permutat. Caietanum. 2. 2. quæst. 100. artic. 4. Angelum verb. Permutatio. §. 6. Auream Armillam verb. Beneficium. §. 75. Eam autem tenent Adrianus quodlib. 9. art. ultimo. Didac. Couarr. lib. 1. variarum Resolut. cap. 5. numer. 9. Nauar. loc. citat. nu. 100. & alij alibi. Ratio est. Si temporale non potest permutari cum Ecclesiastico beneficio, quod spirituale censetur, nec etiam poterit temporale dari pro redditibus alterius beneficij, qui temporales sunt, cum hi redditus ex titulo beneficij, qui spiritualis censetur, percipiuntur; alioquin facilè posset persuaderi licitè dari pecuniam pro beneficio Ecclesiastico sine Simonia, hoc expressè addito, pecuniam non pro sacro titulo, sed pro ipsis temporalibus redditibus conferri, quod à vero longissimè abest. Obseruandum etiam est, quod beneficiorum permutatio non debet fieri sine legitima causa: quæ referenda aut in vtilitatem Ecclesiæ: aut personarum permutantium.

Decima Conclusio. Pecunia procurare beneficij resignationem in proprium; aut alterius fauorem, Simonia est; omnium sententia. Quia temporali spirituale emitur & procuratur. Si autem resignatio fiat ad manus Collatoris in fauorem alicuius digni, modo aliud

Mm pactum

pactum non accedat, per quod libertas in conferendo Collatori præscindatur, non committitur Simonia, imò ex quadam honestate superior debet conferre ei, in cuius fauorem resignatio facta est, si dignus sit. Si autem indignus, nullo modo acquiescere potest, sed libere cui libet digno conferre potest. Vide ad hanc materiam Couarr. loco citat, numer. 5. Optimus autem resignandi modus est, libere ad manus collatoris resignare sine vlla conditione, vt conferat pro sua conscientia, cui voluerit. cap. Ex parte 1. de officio delegati. Præterea si quis possidet beneficium, ad cuius titulum est promotus, non potest illud resignare, nisi facta eius rei mentione, nec tunc resignatio admittenda, nisi constet quod aliunde commodè viuere possit: Aliter facta resignatio non valet. Concilium Tridentin. sessio. 21. capit. 2. de Reformat.

Quid sentiendum, si quis renunciet beneficio in gratiam alterius cum pacto, vt renunciarius sibi restituat expensas quas fecit in acquisitione beneficij, an sit Simonia? Casus talis est. N. adhuc iuuenis canonicatum in aliqua Ecclesia obtinuit apud Episcopum, processu temporis mutat ob aliquam causam mentem, nec intendit in statu Ecclesiastico perseverare, sed suum beneficium resignare, & quia expensas fecit in curia Episcopi pro expeditione, & etiam in solutione statutorum eas non libenter perdit

quæ.

quærit aliquem, qui appetat tale beneficium, conuenitque cum eo ut in eius fauorem resignet, addito pacto de soluendis expensis huiusmodi factis in acquisitione. Quandoquidem hic casus non raro ut constat, accidit sicque expensarum titulo quandoque Simonia tegitur, placuit dubio satisfacere. Respondetur ergo paucis in hoc casu ex parte vtriusque Simoniam committi & quidem realem completam, si intercedant solutio & receptio: probatur.

Primo. In acquisitione spiritualium omnis pactio conuentioque quæ iure non inest, cessare debet. i. quæst. 2. cap. Quam pio. cap. fin. de pact. & arg. cap. Ad audientiam. 2. de rescript. Gloss. & Felin. ibidem. Panorm. in cap. Olim. 1. de restit. spoliat. num. 6. Antonin. ibid. num. Ioan. Imolen. in d. cap. fin. At in nostro casu conditio iure non inest, sed extrinsecus apponitur. Ergo Simonia committitur.

Secundo. Simonia incurritur, si quis renunciet liti super beneficio, aut alio spirituali, dato aliquo temporali etiam nomine expensarum per text. clarum in capit. Cum pridem. de pract. Glossa. Panormitan. Anton. Cardin. & alij ibidem. S. Antonin. 2. part. titulo 1. capit. 5. Angel. in verbo Renunciatio. §. 9. Syluest. eod. verb. quæst. 6. ergo à fortiori est Simonia si quis resignet beneficium cum onere solutionis expensarum. De

Simonia circa resignationem latius in comment. de Simonia. capit. De hoc. quæst. 6.

CAPVT VI.

DE POENIS SIMONIA- CORUM.

DE pœnis Simonicorum vide Extrauagantes communes de Simonia, S. Thomam cum Caietano 2.2. quæst. d. artic. ultimo, Victoriam in 2. part. relectionis de Simonia. Sotum loc. cit. quæst. 8. artic. 1. Nauarr. loc. cit. numero III. & latè Nicolaum Boërium decisione II 7.

Prima Conclusio. Simonia purè mentalis, nō obligat ad restitutionem, vt communiter DD. sentiunt.

Secunda Conclusio. Simonia mentalis, quæ processit ad exterius opus etiam sine pacto nō obligat ad restitutionem. Hæc conclusio est contra quosdam DD. Henricum de Gandauo quodlib. 6. quæst. 26. Adrian. quodlib. 9. artic. 3. Maiorem in 4. d. 25. quæst. 1. & Sotum loc. citat. Conclusio autem posita, est communis DD. vt Nauarr. loc. cit. num. 103. testatur, & eā in specie tenent Panormitan. Innocent. & alij in capit. final. de Simonia. Caietan. Syluest. & Aurea Armilla in verb. Simonia, & alij alibi.

Ratio

Ratio conclusionis, quoniam in re tanti momenti, vbi canones nihil certi declarant, & sunt graues auctores, pœnæ sine causa non sunt ampliandæ, sed restringendæ.

Fundamenta tenentium contrarium soluit. Nauarr. loc. citat. quem videre diligens lector poterit.

Tertia Conclusio. In Simonia tantum conuentionali, id est, quando solum est pactum; & neutra ex parte aliquid datum, vel acceptum, nulla est obligatio restituendi: Quoniam vbi nihil datur, aut recipitur, ibi nihil restituendum est: Si autem temporale sit acceptum, & nihil spirituale adhuc traditum illud restituendum danti.

Quarta Conclusio. Quando acceptum spirituale, nec datum temporale probabilius sententia est, quod non sit obligatio restituendi. Nauarr. loc. cit. nu. 4. & num. III. Cassiod. in decis. 5. de constitut. & hoc seruat stylus Romanæ curiæ eodem attestante, & probatur, secundum oppositum tenentes, non est Simonia Realis, quæ pœnis subiacet, quando tantum temporale datur; ergo etiam non est Realis, quando tantum spirituale traditur: nec potest sufficiens reddi ratio, quare in hoc casu sit, & non in alio. Potest talis tamen puniri pœna extraordinaria, & priuari beneficio.

Quinta Conclusio. Omnis collatio, præsentatio, electio, aut quæuis alia dispositio bene-

ficioꝝ per realem Simoniam facta, est nulla. 1. q. 1. can. Si quis Episcopus, & canon. Prefbyterum. & cap. De hoc. eod. tit. & ex Extrauag. 2. eod. tit. & communi DD. sententia, & sic quaesita per Simoniam realem sunt restituenda, & relinquenda.

Sexta Conclusio. Simoniacus in ordine & beneficio, & mediatores, sunt excommunicati excommunicatione reseruata Pontifici, ex Extrauagan. Pauli II. eodem titul. & Summistis in verb. Excommunicatio, Soto loc. cit. Nauarr. in Manuali, cap. 27. num. 106. & alijs alibi. Eadem excommunicatione sunt ligati, qui accipiunt, aut dant aliquid ob ingressum in monasterium, ex Extrauagan. 1. eod. tit. Quam dicunt tantum intelligendam de ingressu in monasteria virorum, eo quod Martinus V. sic declarauerit & restrinxerit.

Septima Conclusio. Simoniacus in beneficio tantum, quamuis sit excommunicatus iuxta praedictam conclusionem, non est tamen ipso iure suspensus. Innocent. in capit. Tanta. eodem tit. Nauarr. in cap. 23. numer. III. haec Conclusio est contra S. Thomam. 2. 2. q. 100. art. 6. ad 1. Caietanum ibidem. Sotum. d. qu. artic. 2. Panormit. in d. capit. Tanta. Ratio, quia hoc non reperitur neque in iure nouo, neque antiquo. Quare Simoniacus in beneficio, acta poenitentia & relicto beneficio, potest celebrare.

Octava Conclusio. Simoniacus in ordine, est ipso iure etiam suspensus, ex Extravag. 2. de Simonia. & cap. Tanta. eod. tit.

Nona Conclusio. Simoniacus, quando iudicialiter confiterit, incurrit infamiam, & punitur depositione, cap. Inquisitionis, de accusationibus, & 5. quæst. 1. cap. Sanè.

Decima Conclusio. Omnis Simonix cum deliberatione commissæ, pœna est ignis inferni, nisi quis digna pœnitentia eam purgauerit: Quia omnis talis Simonia est peccatum mortale. De alijs legantur DD. citati in suis locis.

CAPVT VII.

DE RESIDENTIA, QVÆ annexa est quibusdam be- neficijs.

RESIDENTIA nihil est aliud, quàm personale ministerium in loco debito, sic residere dicitur in Ecclesia, qui ei debitam seruitutem præstat per se.

Pro intelligentia notandum, quod omnia beneficia non sunt eiusdem naturæ. Quædam de iure, consuetudine, aut fundatione requirunt residentiam: Quædam non,

Mm 4 fed

sed tantum certas missas in septimana: quas quis vel per se, vel per alium implere potest. Deinde inter ea, quæ residentiam requirunt, alia habent iurisdictionem & curam animarum adiunctam: vt Episcopatus, & Decanatus, Abbatia, Cura pastoralis, &c. Alia non habent huiusmodi annexa; vt canonicatus, præbenda, &c.

Prima Conclusio. Episcopus iure diuino tenetur ad residentiam in suo Episcopatu. Hanc conclusionem copiosè probant contra Ambrosium Catharinum Reuerendissimus ac Illustrissimus Dominus Bartholomæus Caranza Ordinis S. Dominici Archiepiscopus Toletanus in libello de Residentia Episcoporum, ad Concilium Tridentinum. Dominicus Sotus in fine libri de natura & gratia, ad idem Concilium, & latè libr. 10. de iustitia & iure. quæst. 3. artic. 1. Caietan. 2. 2. quæst. 185. artic. 5. Ioannes Driedo de libertate Christiana, Didac. libr. 3. variarum Resolut. capit. 13. numer. 9. & alij alibi. & Concil. Trident. sess. 23. capit. 1. Probatur Conclusio ex eis, quæ sacræ literæ Episcopis tribuunt. Dicuntur Pastores, Superintendentes, Speculatores, Magistri, Rectores, Doctores, Lux, &c. quæ omnia denotant munia & officia præsentium: Quare etiã Christus in Euangelio distinguit inter bonum Pastorem & mercenarium, de qua re legendum apud Ezechielem c. 34. & August. in libr. de pasto-

pastore & ouibus. Hinc infertur à DD. quibusdam, quod Episcopus Cardinalis non poterit ratione Cardinalatus abesse à suo Episcopatu, & in curia residere: & Concilium Trident. loc. cit. id planè confirmat. Super qua re doctissimè in concione coram fœlicis memorie Pio Quinto in confessu aliquorum Cardinalium, differentem magno cum feruore, audiui Doctissimum & Pijssimum Franciscum Toletum Doctorem Theologum Societatis Iesu, postea Illustrissimum & Reuerend. Cardinalem Romanæ Ecclesiæ, cuius anima nunc requiescit, vt optimè speramus, in pace: Neq; etiam poterit abesse Episcopus à sua Ecclesia, quia prœrex, aut alicui regi in seculari gubernatione prœest: Quia gubernatio temporalis non est spiritali præferenda, cum potestas spiritalis temporalis dignior, præstantior, & superior sit. Qua in re grauissimè multi Ecclesiarum prælati & primates peccant, lynceos oculos habentes ad temporalia, talpis cæciores in spiritalibus, hoc velamine vtētes, quod non solum sint Episcopi, Abbates, aut etiam prælati Ecclesiæ, sed etiam Principes, Duces, aut Comites, sed hoc ab eis considerandum, quod dignius trahat ad se indignius. Iuxta textum, Glossam & DD. in c. Quod in dubijs, de consecrat. Ecclesiæ & altaris. Dignius autem est spirituale: Quare si talis Episcopus, Abbas, aut Primas ob negligentiam animarū

Vide Concil. Trident.

ibit ad infernum, trahet secum Principem, Ducem, aut Comitem.

Secunda Conclusio. Potest tamen Episcopus à suo grege abesse, quando Christiana charitas, vrgens necessitas, debita obedientia, & evidens Ecclesiæ, & Reipubl. utilitas abesse possulant: tunc causæ absentia approbandæ sunt à Romano Pontifice: aut à Metropolitano, vel eo absente, suffraganeo Episcopo antiquiore nisi cum absentia inciderit propter aliquod munus: & Reipubl. officium Episcopatus adiunctum: Concil. Tridentin. sess. 23. cap. 1. de Reformat.

Tertia Conclusio. Habens beneficium curatum inferius Episcopatu, non solum positivo, sed etiam diuino iure tenetur residere. Hanc conclusionem quantum ad id quod de iure diuino sit residentia, probant DD. primæ conclusionis, & ei, quæ ex sacris literis Pastoribus tribuuntur. Quantum ad ius posituum clarum est ex multis can. in titul. de cleric. non resident. & Concil. Trident. Vnde cap. Quia nonnulli. eod. tit. mandatur quod Ecclesia non conferatur nisi illi, qui residere & regere valeat per seipsum: Aliàs perdit Ecclesiam, & donans conferendi potestate priuatur. Quando autem Ecclesia parochialis est annexa dignitati, debet regi per idoneum & perpetuum vicarium.

Quarta Conclusio. Clerici non residentes in bene-

beneficijs curam animarum habentibus, præter peccatum mortale, quod incurrunt, pro rata temporis absentia, tenentur ad restitutionem omnium fructuum perceptorum, etiam nulla declaratione alia secuta, nec tuta conscientia possunt sibi retinere; sed debent restituere Fabricæ Ecclesiæ: vel pauperibus loci, & incidunt in alias pœnas contra non residentes statutas, Concil. Trident. loc. citat. Quare si quis non resideat in curato beneficio, non solum potest contra eum agi super priuatione beneficij, sed etiam restitutione fructuum. Quando autem ob causam per Episcopum cognitam, & in scriptis licentiam datam curatus abest; ultra bimestre talis licentia non concedenda, nisi ex graui causa.

Quinta Conclusio. Omne beneficium, quod habet fructus sufficientes ad sustentationem honestam, requirit residentiam de iure communi. cap. Conquerente. de cler. non resid. & communis sententia ibidem.

Sexta Conclusio. In aliquibus casibus clericus excusatur à residentia, & in absentia percipit fructus. *Primus*, Quando est in seruitio Papæ. capit. Cum dilectus. de cleric. non resident. *Secundus*, Duo canonici existentes in seruitio Episcopi, si occupentur in utilitatem Ecclesiæ. cap. Ad audientiam, cap. Dilectus. & cap. De cætero. Hos nos facellanos Episcopi nominamus in collegijs: & aduer-

ten-

tendum, quod nisi sint in seruitio Episcopi pro vtilitate Ecclesiæ, in conscientia non gaudent tali priuilegio de fructibus in absentia percipiendis, quicquid hic mundus sentiat. Quare, vt bene Gabriel in 4. dist. 15. q. 8. art. 3. annotat, reprobata patet consuetudo, vel statutum in quibusdam Ecclesijs, quod Episcopus duos ex canonicis eximat tanquam suo seruitio deputans, qui nec sibi seruiunt, nec commorantur, & tamen redditus beneficiorum percipiunt tanquam præsentés, præter quotidianas distributiones. Quibus addimus, quod nulla ratione sit talis consuetudo tolerabilis, quando in alienis Episcopatibus tales sacellani resident, ex rationibus, quæ ex canonibus manifestæ sunt.

Tertius, Quando aliquis absens est pro vtilitate Ecclesiæ: tum enim præsens censetur, ea ex parte. eod. tit.

Quartus, Quando quis studet Theologiæ: aut iuri canonico ad quinquennium in aliqua vniuersitate. Eadem est ratio, quando aliquis in aliqua vniuersitate dictas facultates legit. capit. final. de Magistris & DD. ibidem. Hoc priuilegium non habet locum in alijs scientijs, nisi aliud consuetudo obtineat: Si autem aliquis vagetur, & non det operam literis, in nullo releuatur hoc priuilegio.

Quintus, Dum aliquis legitimam habet licentiam, ab habente potestatem, & ex iusta causa,

causa, quæ in scriptis in beneficijs curatis habenda, ex Concilio Trident. loc. cit. Super nõ residentia in perpetuum, solus Pontifex dispensat. Gloss. cum text. in canon. Licet canon. de elect. in 6. Panormit. in repetitione, capit. Extirpandæ. §. qui vero. num. 2. de præbend.

Sextus, Quando est consuetudo honesta ex causa introducta, nec Ecclesiæ debitum obsequium detrahitur. Innocent. in cap. Tuæ. de cler. non resid. Panorm. in cap. Inter quatuor, ibidem, & alij communiter.

Tandem notandum ex cap. Cum ad hoc. Panorm. ibidem & alijs alibi, quod quando huiusmodi priuilegia, consuetudines, aut dispensationes, aut licentiæ, etiam si essent à Pontifice concessæ, inducunt damnum Ecclesiæ, reuocantur, quamuis prius fuissent in eius utilitatem. Et quando cessant esse in utilitatem & commodum Ecclesiæ, fruens eis non est tutus in foro conscientiæ, quicquid sit apud homines, penes quos hoc misero Ecclesiæ statu, non rarò quodlibet licet: Ex quibus inferitur, quod quando in aliqua Ecclesia collegiata tot canonici abessent, vt præsentés non sufficeret ad explendum diuinum opus, possunt absentes citari ad residentiam, & quod si non comparuerint, elapso canonico termino beneficijs priuari: Quia quæ pro utilitate Ecclesiæ & augmento cultus diuini instituta sunt, contra Ecclesiam militare non debent.

Septima

Septima Conclusio. Clericus non residens, quando ignoratur, vbi sit, citandus est in vltimis suæ Ecclesiæ tribus edictis per interval- lum, & si tunc infra sex menses non redierit, aut causas in iure efficaces absentia dederit, priuatur beneficio. capit. Ex parte. cap. Quali- ter. capit. Inter quatuor. & cap. Ex tunc de- uotionis. de cleric. non resident. & Concil. Tridentin.

Octaua Conclusio. Quando quis in casibus iure permissis, percipit fructus principales, siue vt vocant corpus præbendæ, in absentia, non recipit quotidianas distributiones, et- iam si consuetudo sit in contrarium, quæ ad hoc nulli suffragatur, ex constitutione Boni- facij Octauj, capit. Vnico de cleric. non resi- dente in 6. quam renouat Concilium Triden- tin. sess. 24. capit. 12. de reformat. sublati quibuscun- que statutis & consuetudinibus in cõ- trarium. Vnde etiam colligitur, quod non valet consuetudo, & irrationabilis sit, qua re- ceptum est in quibusdam Ecclesijs, quod præ- sens in Ecclesia tempore missæ animarum, lu- crificiat etiam distributiones matutinarum quibus non interfuit, siue dormiuit, aut si summo sacro interfuit, lucrificiat distributio- nes vesperarum, etsi vesperis non interfuit qua- cunque ex causa. Talis enim consuetudo satis reijcitur in d. constitut. Bonifacij, & doctrina commentatorum in eand. constit. Nec statu- ta in

ta in contrarium valent. vt ex Concil. Trid. loco cit. patet. Pro hoc est Gloss. pragmatica in tit. Quo tempore debeat quis esse in choro. §. Tollens prorsus, super verb. vsurpat.

Nona Conclusio. Quotidianæ distributiones debent dari infirmis, qui ob infirmitatem; aut corporale impedimentum diuinis interesse non possunt. Quia dicta constitutio hos excipit, & communis sententia approbat: De qua re vide ad longum Didac. Couarr. libr. 3. variarum resolution. capit. 13. Hæc tamen Conclusio secundum Doctores intelligenda, quando ægrotudo est causa vera absentia, cum is scilicet, qui ægrotat solitus est tempore bonæ valetutinis interesse diuinis: Quod si verò non consuevit sanus, aliquibus officijs, exempli gratia, matutinis interesse ne rumpat somnum, ægrotus non percipiet distributiones matutinales. Panormitan. & Ioan. Andræas in capit. Ad audientiam. eodem tit. Dominicus & Francus in d. capit. vnico. Couarr. loco citat. Nauarr. in tractat. de orat. & horis canonicis, capit. 11. numer. 10. & sic tenent omnes, attestante Felino in ca. Apostolica. de except. Quod autem in multis locis, statutis cauetur; aut consuetudine obseruatur, vt quam primum ædes quis egreditur, priuetur distributionibus ægrotus, hoc sane intelligendum. Quia potest quis in tantum esse sanus, vt exem. grat. die Domi-
nico

nico possit priuatim in Ecclesia audire missam, ad quam ex præcepto tenetur, qui tamen non ita sit confirmatus, vt diuinis officijs Ecclesiasticis possit sine periculo valetudinis interesse. Item possit quis fortasse perdurare in missa, & non in alijs officijs: Nam qui tenetur ad faciendum aliquid, si non potest facere totum, vel eo modo, quo iubetur, tenetur facere partem, quam potest: aut totum eo modo, quo potest, iuxta doctrinam Innocentij III. capit. Cum dilectus, de dolo & contumacia. Quando respondet citatum ad certum diem teneri ad comparendum post illum: quàm citò commodè potest: Et præceptum Ecclesie, cum non potest adimpleri totum, adimplendum est pro parte, quæ potest. Caietan. 2. 2. q. 147. artic. 7. & Nauarr. loco citat. & in Manuali Confessar. cap. 21. numer. 22. Eadem ratione contingere potest, antequam quis valetudine confirmetur, vt ex præscripto medici, debeat parum ambulare ad irritandum appetitum, aut captandum recentem aërem. In talibus casibus rationabiliter non potest privari quotidianis distributionibus. Intelligenda ergò prædicta statuta, vt iuri & rationi sunt congrua, quando quis egreditur ædes ad vagandum, & non corporis valetudinis causa: aut egreditur ad tractanda negotia: quæ consideratis circumstantijs sanitatem significant.

Decima Conclusio. Absens à loco beneficij
tem.

tempore pestis, licet principalis fructus percipiat in absentia, non tamen habebit quotidianas distributiones, nisi consuetudine obtentum sit, ut absenti ex iusta causa dentur. Franciscus à Ripa in tractat. de peste. 2. part. numer. 145. & Didac. Couarr. loc. cit. numer. 8. Alia tamen est ratio, quando quis in loco beneficij residet: & propter infectionem suarum ædium impeditur, quod diuinis commode interesse non possit. Ex hac conclusione etiam iudicium sumi potest, an quotidianæ distributiones dandæ ei qui ob seditiones absq; sua culpa à ciuitate pellitur. Tali enim debentur distributiones secundum Calder. in consil. 17. de præbend. & post alios Couarr. quando consuetudine receptum est, quod absentibus ex iusta causa dentur.

Vndecima Conclusio. Quando quis absens est, & occupatur in negotijs Ecclesiæ suæ, pro eius utilitate percipit quotidianas distributiones: in hac re non est dubium.

Duodecima Conclusio. Si alicubi consuetudine obtentum est, ut canonicus quotidianas distributiones percipiat, si initio diuinorum, aut horarû, diuinis intersit, licet statim egrediatur, aut est iniqua consuetudo: aut ita interpretanda, quando quis ab officio discesserit, ex causa, quæ honestam iuducat occupationem, ita quidem, ut non ad otium, aut fabulas in templo, aut extra diuertat, ut deducitur ex ra-

Na tione

tionem textus in d. capit. vnico. Paludan. in 4. d. 15. quæst. 5. conclus. 9. Didac. loc. citat. versic. Decimotertio illud est omninò; vnde qui vigore huiusmodi cōsuetudinis, aut statuti percipit, non est securus in conscientia.

Decimatertia Conclusio. Ad lucrandum distributiones quotidianas nō sufficit, vt quis presens sit quocunque modo in Choro, sed requiritur, vt in Choro, vbi illæ lucrifunt dicantur canendo cum alijs, & communicando in recitatione: Probat in primis, distributiones non dantur solum eo, quod dicuntur, vel canuntur horæ, sed quia dicuntur cum alijs in Choro, vel alia parte Ecclesiæ, vbi & quemadmodum statutum est: vt non solum ex canonibus, & Concilio Tridentino, sed etiam statutis multarū Ecclesiarum constat. Finis enim institutionis distributionum quotidianarum est, vt augeatur numerus personarum canentium, & Deum laudantium in publicis & solemnibus, diuinis officijs. Quando autem datur aliquid cum conditione aut pacto, non transfertur dominium, conditione non secuta, aut pacto non seruato, C. de condit. ob causam datorum. & ff. de condit. causa data non secuta, & confirmatur fortius ex Concil. Basiliensi sess. 21. in tit. Quomodo diuinum officium sit celebrandum: quod recipitur & inseritur in pragmatica sanctione, eodem tit. his verbis. Et cum
psal.

psallendi gratia ibi conueniāt, muta, aut clausa labia tenere non debent, sed omnes præsertim, qui maiore funguntur honore in Psalmis, hymnis, & canticis; Deo alacriter modulentur: super verbo Psallendi; addit bene Cosmas super pragmatica sanctione, alta voce. Ad idem facit dictum Concilium paulo infra, dum ait, Nemo ibidem dum horæ in communi cantantur; legat; vel dicat priuatim officium; nam non solum obsequium, quo obnoxius est; choro subtrahit, sed alios psallentes perturbat. In verbo Subtrahit, addit Cosmas; peccat ergo, & furtum committit; cum utatur lingua sua ad aliud, quàm ad quod tenetur; contra Dei & Ecclesiæ voluntatem. Ad idem facit illud Hieronymi ibidem citatum. Ingratum est spiritui sancto quicquid obtuleris; neglecto eo, ad quod teneris. Deinde probatur conclusio ex illa regula iuridica vulgata. Illegitimè facta pro infectis habentur, & nullius sunt momenti; & non sunt in consideratione; & paria sunt non facere; & minus legitimè facere; l. quotiens. ff. Qui satis dare cogantur. ff. de re iudicata, l. 4. §. Condemnandum, l. pacta, quæ contra; C. de pactis. & capit. Quæ contra, de regulis iuris in 6. Non enim refert an aliquid non fiat, vel minus bene fiat. Qui ergo in cantu & laude Dei, cum alijs non communicat in choro, non commu-

N n 2 nica

nicabit etiam in emolumento dato in illum finem, secundum Concilia & rectam rationem. Quomodo autem qui priuatim in Ecclesia officium recitat, cum alijs communicat, qui forsensè quando alij canunt lectiones & responsoria, ipse legit Benedictus aut Te Deum laudamus; aut quando chorus psallit Benedictus, ipse recitat primas: aut orationes preparatorias ad missam. Quæ omnia non fiunt secundum Ecclesiæ voluntatem & institutum, ut cuius sapienti notum est. Dictam conclusionem tradunt Caietanus in respons. 8. libr. 17. responsionum, & Nauarr. in tract. de oratione & horis canonicis. capit. 10. num. 47. & capit. 11. num. 42. Sotus libr. 10. de iustitia & iure. quæst. 5. artic. 4. circa medium. Ad idem facit Concilium Tridentin. session. 24. capit. 12. de Reformat. dum vult quod canonici in choro ad psallendum instituto, hymnis, & canticis Dei nomen reuerenter, distinctè deuoteque laudent. Facit ad idem propositum Pius V. in Extrauag. quam ponit Nauarr. in Manuali Confess. cap. 25. num. 122. vbi Pontifex cum decreuisset non recitantes horas non lucrificare fructus suos, nec distributiones, sequentia verba subiungit: Tametsi aliquis choro addictus, non recitans, omnibus horis canonicis cum alijs præsens adsit, fructusque & distributiones aliter assignatas sola præsentia iuxta statuta, consuetudinem, vel alias sibi lucri-

crificasse prætendat. Caietanus tamen in summa verb. Horæ canonicæ, cum formidine putat, si alicubi sit consuetudo, quod prælati & maiores chori, suum versum priuatim dicant, & alia à minoribus cantata meditentur, quod tales excusentur: sed in hoc ei nemo suffragatur, imò ipse in loco citato contrarium docuit: Ex dictis infero efficaciter, cum Nauarr. in dict. tract. de oratione. capit. 9. numero 4. & 5. Eum, qui aliqua notabili parte alicuius horæ obdormit in choro, non lucrificasse plus distributiones quotidianas illius horæ, aut officij, quam si ei non interfuisset: nec etiam satisfacere præcepto de recitandis horis. Rationibus prædictis motus dico, etiam secundum doctrinam Dominici Soti de iustitia & Iure. libr. 10. quæst. 3. art. 1. non longè à fine, residere in Ecclesia propria, aut beneficio segniter & oscitanter, quandoque peius esse quàm nõ residere. Residentia Episcoporum & curatorum iure diuino indicta est pro salute animatum, & cura populi, vt patet ex officijs & muneribus angelicis, quæ si non præstent, ad quid terram occupant, & de lacte ouium viuunt; Qui enim altari inseruit, de altari viuet, & participabit, iuxta Apostolicam doctrinam, *1. Cor. 9.* ergò à contrario sensu, qui altari & Ecclesiæ non inseruit, aut malè inseruit cum scandalo, vt multi faciunt, non participabit de altari: Quia secundum dictam regulam, aliquid m-

lè siue illegitimè facere, & non facere paria sunt. Ad extremum, ne quis fortè existimet canones contra non residentes statutos in vlt non esse, eos omnes Concilium Tridentinū innouauit. Nunc præsupposita residentia, cū certissimum sit omnes clericos etiam iusta & legitima causa à residentia excusatos, teneri ad dicendas horas ab Ecclesia statutas, de horis canonicis agendum est.

CAPVT VIII.

DE HORIS CANONICIS.

DE hac materia legendi Dominicus Sotus libr. 10. de iustitia & iure. q. 5. Ioannes Medina in Cod. de pœnitentia tract. 6. de oratione. Martinus Nauarr. omnium longissimè & doctissimè in tractatu de oratione, & horis canonicis. Summissæ in verb. Horæ canonicæ.

Quid nomine horarū canonica-rum intel-ligatur. In primis cognoscendum, nomine horarum, intelligitur officium diuinū certo tempore, vocaliter, ex Ecclesiastica institutione, persoluendum, ab Ecclesiasticis personis.

Dicuntur horæ canonicæ quasi regulares, quia regulariter à sanctis patribus obseruata, capit. Quod in re. de pœnitentijs & remissionibus.

Prima Conclusio. Septenarius numerus horarum

farum canonicarum, fundamentum habet ex
 sacris literis, & procedit ex antiquissima tradi-
 tione. Constat ex illo. Psalmi 118. Septies in
 die laudem dixi tibi. De Matutinis Psalm. 62.
 In Matutinis meditabor in te, quia fuisti adiu-
 tor meus, & Psalm. 118. Media nocte surge-
 bam, &c. & Lucae 6. Math. 26. nocte oravit
 Dominus; De Primis. Psal. 19. Ad annuncii-
 andum manè misericordiam tuam; De Ter-
 tia Actor. 2. Spiritus sanctus descendit in A-
 postolos. Quare in Terria dicitur pro hymno.
 Nunc sancte nobis Spiritus. &c. De Sexta.
 Actor. 10. Petrus circa horam sextam ascen-
 dit, vt oraret. De Nona, Actor. 3. Petrus & Io-
 annes ascendebant ad templum ad horam o-
 rationis nonam. De Vesperis. Psal. 140. Diriga-
 tur oratio mea, sicut incensum in conspectu
 tuo, eleuatio manuum mearum sacrificium
 vespertinum; & Saluator cenantibus Apo-
 stolis mysterium sui corporis & sanguinis tra-
 didit; De Completis verò celebrandis. Psalm.
 131. Si ascendero in lectum strati mei, si dede-
 ro somnum oculis meis, &c. donec inue-
 niam locum Domino tabernaculum Deo Ia-
 cob. De horis canonicis tradunt sancti Pa-
 tres. Clemens Pontifex & martyr. lib. 8. Con-
 stitutionum Apostolicarum. capit. 40. Basi-
 lius sermone 1. de institutis monachorum.
 Hieronym. epist. 27. in epitaphio Paulæ, Cas-
 sianus libr. 3. De institutis cœnobarum.

Chrysoft. homil. 59. ad populum. Augustin. in regula 2. capit. 1. S. Benedictus in regula, capit. 16. Isidorus libr. 1. de officijs Ecclesiasticis. cap. 19. Raban lib. 2. de officijs Eccles. & alij alibi. Sunt autem septem horæ institutę ad recolendum beneficiũ redemptionis nostrę illis horis, quibus Dominica passio inchoata, continuata, & consummata, vnde pro memoria, hi ab aliquibus versiculi proponuntur.

*Hęc sunt septenis, propter quę psallimus horis.
Matutina ligat Christum, qui crimina purgat.
Prima replet spiritus, causam dat Tertia mortis.
Sexta cruci necitatus eius Nona bipartit.
Vespera deponit, tumulto Completa reponit.*

Secunda Conclusio. Ad Ecclesię decorem, & populi salutem necessarium fuit clericum instituere, cui competeret præter alia officia nomine totius populi horas canonicas Deo offerre. Ratio, quia enim populus varijs rerum curis & negotijs impeditur, decuit vt, Sacerdotes inter populum, & Deum mediatores, pro populo frequentius orarent, & subsidia necessaria, remissionemque peccatorum à Deo peterent. Vnde Osee 4. Peccata populi comedere dicuntur. Hanc conclusionem Sotus loc. cit. art. 1. ponit & dilatat.

Tertia Conclusio. De recitandis horis canonicis, est præceptum Ecclesiasticum obligans transgredientes ad mortale, capit. Dolentes. de

de celebratione missarum: vbi Pontifex præcipit, in virtute obedientiæ, vt dicatur nocturnum pariter & diurnum officium, & in Clemen. i. eod. tit. In hac conclusione communiter Doctores conueniunt.

Quarta Conclusio. In primis obligantur illi, qui sunt in sacris ordinibus constituti etiam si non habent beneficium Ecclesiasticum. Gloss. & DD. in cap. Presbyt. de celebr. missar. Hinc non obligantur constituti in minoribus, si careant beneficijs.

Quinta Conclusio. Virtute præcepti omnes beneficiati ab Ecclesia, etiam si tantum habeant primam tonsuram tenentur recitare horas, si fructus percipiant, d. cap. fin. 92. Beneficium datur propter officium, capit. fin. de rescript. in 6, & qui altari inseruit, de altari debet viuere, & è contra qui viuut de altari, eidem debet inseruire, capit. Cum secundum Apostolum, de præbendis: Si autem quis habeat beneficium, nec vllos percipit fructus, quia non potest habere ex parte aliorum, vtpote quia est statutum, vt habens beneficium in tali Ecclesia tribus primis annis nihil percipiat, tunc eo tempore non tenetur horas recitare: Si autem ex sua parte causa ponatur, quod fructus non percipiat, tenetur diuinum officium persoluere. Sic communiter sentiunt, DD. Caietanus, Aurea Armilla, & alij in verb. Horæ canonicæ, Nauar. in Manuali Confess. cap.

25. uum. 104. Sotus loco cit. q. 10. art. 3. & alij
alibi,

*Dubium. Quid si redditus beneficij adeo
sint tenues, ut non sufficiant ad su-
stentationem hominis, an quis
tamen teneatur dicere
horas?*

IOANNES à Turrecremata in d. 91. S. An-
tonin. 3. part. tit. 13. capit. 4. §. 1. Syluest. in
verb. Hora. quæst. 2. Cardinalis Clem. 1. de
celebratione missarum. Ioan. Medina in Cod.
de oratione. quæst. 7. Nauarr. in Manuali Con-
fessariorum, capit. 25. numero 102. & de orat.
& horis canonicis, capit. 7. Aurea Armilla &
alij in verb. Horæ canonicæ cum communi
sententia tenent, beneficium quantumuis exi-
guum obligare ad horas canonicas, etiamsi
eius fructus non sufficiant, ad sustentatio-
nem miseram. Ab hac communi sententia
Dominicus Sotus discedit, loco citat. artic.
3. Docet Sotus, quod si beneficium, adeo sit
tenuis, ut ferè pro nihilo reputetur, & his
temporibus summam saltè octo ducatorum
non attingat, non obligare ad horas, & hæc
Soti sententia quam nunc recentiores com-
muniter amplectuntur, placet: Quia qui al-
tari inseruit, de altari debet viuere, sed talis
de altari non potest viuere, ergo nec tenetur
inser-

inferuire, & parum pro nihilo reputatur. ca.
 Reuera. de consecrat. d. 2, & 1, si debitori. ff. de
 iudicijs. Quod verò alij obijciunt, acceptatio-
 nem tituli beneficiarij sufficere ad obliga-
 tionem, & non quantitatem reddituum, non
 sufficienter verum est, Etenim secundū com-
 munem doctrinam, qui habet titulum bene-
 ficij, & non potest percipere fructus ex parte
 aliorum, non tenetur dicere officium. Huius
 rei non potest alia sufficiens ratio reddi, nisi
 quia non percipit fructus, nec percipere po-
 test etiam si velit, & tamen iam tenet titulum,
 ergo ratione acceptionis tituli aliquis non
 obligatur, sed causa stipēdij Ecclesiastici, quia
 de bonis Ecclesiæ viuit. Vnde sicut qui nihil
 potest percipere ex parte aliorum, ad nullum
 officium tenetur; ita qui non potest sufficien-
 tem habere sustentationem, non tenebitur
 ad plenam seruitutem: Si autem beneficium
 frugali personæ, ad communem viuendi mo-
 dum sit competens, & alteri non, qui lautius
 viuere vult, talis tenetur dicere officium: Quia
 bona Ecclesiæ sunt data ad supplendum ne-
 cessitatem, non voluptatem. Consultum &
 tutum tamen est, vt qui tam tenue benefi-
 cium possidet, aliquando officium dicat pro
 prudentia viri boni & timorati.

Pueri etiam, qui beneficia Ecclesiastica
 possident, si fructus percipiunt, siue per se,
 siue

siue per alios, amicos, parentes, aut tutores, aut si per ipsos fiat, quo minus percipiant, tenentur dicere horas, vt Nauar. rectè tradit: Quod si autem adhuc tam parui & inepti sint, quod pensum suæ seruitutis absoluere nequeant, etiam incapaces sunt beneficiorum: Quia indecorum est, vt talis dicatur idoneus ad regendum Ecclesiam, qui nescit gubernare se ipsum, cap. Indecorum. de ætate & qualitat. & nemo debet assumi ad onus, cui impar est. Hinc Concilium Tridentinum pueros inhabilitat ad beneficia Ecclesiastica ante 14. annum. Atque cum determinatio Concilij sit, nemo in ætate dispensare potest, præter Pontificem, aut eum, qui potestatem specialem ab ipso habet dispensandi: Cui rei consentiunt DD. in Clement. Generalem, de ætat. & qualitat. secuti Gloss. ibidem, & Summistæ in verb. Ætas. cum alijs alibi. Ratio autem quare beneficia pueris non sint conferenda ante 14. annum: quia beneficia Ecclesiastica, habent onera annexa, vt laudare Deum, orare, & alia munia Ecclesiastica, quæ pueri ante illam ætatem ob defectum rationis, scientiæ, & prudentiæ ritè peragere nequeunt. De qua materia ad longum disserit Nauarr. in Relect. capit. Si quando, de Rescript. except. 7. qui approbat, ibidem Caietanum, in verb. Beneficium. cum ait. Conferre beneficia Ecclesiastica pueris, existentibus alijs idoneis adultis, non solum
inex-

inexcusabile, sed etiam intolerabile videtur, tum quia pueri in spe tantum sunt idonei, adulti autem in re, tum quia diuinum officium deuotè & studiosè persoluere nesciunt, tum quia hoc reprehenditur in capit. Super inordinata. de præbend. Certissimum autem est, quod beneficia, quando dantur pueris, qui horas persoluere non possunt, siue ipsi pueri, siue eorum parentes, aut tutores fructus percipiant, tenentur ad restitutionem omnium perceptorum, vt infra ostendetur. Si autem Pontifex puero ob indolem: aut expectationem egregiam maiorum: vel aliam iustam causam beneficium conferat, qui necdum potest persoluere horas, & hoc ei constet, ex plenitudine potestatis præsumitur dispensare, vt horas non recitet, donec aptus reddatur.

Sexta Conclusio. Religiosi professi deputati ad chorum, obligantur ad dicendas horas: Dicitur in cōclusionione, deputati ad chorum: quia laici: aut conuersi deputati ad opera seruilia, non tenentur nisi ad orationes, quæ ex præscripto regulæ, aut statutorum proponuntur: dicitur professi, quoniam nouitij ante professionem non sunt obligati. Quod dictum est de religiosis, idem prorsus censendum de monialibus professis ordinatis ad officium chori.

Septima Conclusio. In aliquibus casibus aliquis excusatur à recitandis horis. Sunt autem sequentes.

Primus.

In quibus
casibus ali-
quis excu-
setur à re-
cirandis
horis.

Primus. Quando quis infirmitate, & ad-
uersa valetudine laborat, ita vt non possit re-
citare: aut non sine periculo valetudinis, & in
hac re standum consilio boni, aut timorati
medici: aut alterius viri prudentis, quando
enim notabile damnum timetur, cessat obli-
gatio. Quando autem infirmitas est modica
non excusat; vt doceñt Panorinitan, Inno-
centius, & Hostiens. cap. t. de celebrat. missa-
rum, & communis opinio ibi, & alibi. De cau-
sis excusantibus tractat Nauarr. in Manuali,
cap. 25. num. 100. & latissimè in Manuali, de
oratione & horis canonicis. capit. 11. Nec est
opus post infirmitatem omissas repètere, aut
ab alio recitante audire. Dictū in hac re stan-
dum esse consilio boni & timorati medici:
Quia vt rectè Nauarr. in capit. 11. dicto de ora-
tione. numer. 3. ait, nonnulli ita sunt faciles
in absoluendo ægrotos ad obligatione, & legi-
bus Ecclesiasticis, imò & à Dei præceptis, ac si
eorū ipsimet essent auctores; iuxta illud Am-
brosij de consecr. d. 5. cap. Contraria sunt di-
uinæ conditioni præcepta medicinæ, quæ à ie-
iunio reuocant, lucubrare non sinunt, ab
omni intentione meditationis abducunt,
ita vt qui se medicinis dederit seipsum sibi ab-
neget.

Dubium. An qui non potest omnes horas
dicere ob infirmitatem, teneatur recitare par-
tem, quàm potest, aut saltem cum socio dice-
re,

re, vt mediam partem recitet, & ea quæ socius dicit audiat? Solus Navar. hoc mouet & resoluit. de orat. ea. dicto à num. 9. Et secundum ipsius doctrinam dico in primis, quod qui potest partē recitare sine valetudinis periculo, debet id facere: Argumentum potest esse à toto ad partem: Sicut qui potest totum dicere, tenetur dicere totū: Ita qui partem; tenetur partem recitare: Deinde vt supra declaratum. Quando quis non potest præceptum Ecclesię in totum adimplere, tenetur pro parte, quam potest perficere: In hac re tamen nemo debet esse nimis scrupulosus: Quia non requiritur, vt homo in moralibus rebus extremum potētiz exerceat, dicimur enim posse, quod commodè & sine probabili corporis periculo possumus. Quod facillè medicus animaduertit, aut etiam ipse ægrotus si prudentia vtatur, facillè cognoscit, an debilitetur notabiliter ex recitatione horarū. Profectò si quis sit ægrotus, & possit tractare alia negocia, & fabulando cum alijs conuersari, non excusabitur, quin Ecclesię & Deo debitum obsequium præstet.

Secundus casus. Qui caret breuiario siue sua culpa, siue absque ea contingat, nec pro tali tempore habere potest, excusatur: quia deest facultas, & ad impossibile nemo obligatur. Qui verò iter faciunt, & secum breuiarium non deferunt, non excusantur à peccato etiā mortali, quia in culpa sunt, quod breuiarium non deferunt.

Tcr-

Tertius casus. Cum superuenit aliqua occupatio subito, vel eo modo, quod non potest providere, nec omitti sine scandalo vel peccato, tunc possunt omitti horæ, ex. gr. si esset necessitas subita horas omittendi ad sedandum tumultum in populo, aut necessitas habendi concionem, quæ si omitteretur, scandalum nasceretur, nec suppetit tempus ad legendum horas & studendum. Nemo tamen excusatur ab horis propter studium, utpote quia regulariter dat operam literis. Quare rectè quædam glossa in pragmatica sanctione, cap. Qualiter horæ canonicæ dicendæ, dixit, Maledictum studium propter quod diuinum officium relinquitur. Nec etiam excusatur, qui peregrinatur, aut iter facit secundum communem.

Quartus casus. Qui fruatur dispensatione Pontificis, quæ ex iusta causa procedit, excusatur à recitandis horis. Quia cum horæ canonicæ sint iuris positivi, Pontifex potest dispensare. Nemini tamen ad hoc suffragatur Episcopalis dispensatio.

Octava Conclusio. Quilibet tenetur dicere officium secundum usum suæ Ecclesiæ: vel Romanæ. Qui autem beneficiatus, debet dicere secundum consuetudinem, & ritum sui Episcopatus, nisi sufficienti licentia fruatur, vel Pontificis, vel proprii Episcopi ad hoc, ut Romano more persoluat. Hæc Conclusio constat ex Bulla Pij Quinti, præfixo breuiario
Roma-

Romano, Soto artic. 4. & Nauarr. de horis can. cap. 21. numer. 23. Religiosi autem dicunt secundum statuta sui ordinis : Ideo etiam tenentur ad officium B. Virginis, mortuorum, aut sanctæ crucis, pro ordinatione statutorum, aut consuetudinis : Quod etiam de alijs intelligendum. Officium autem mortuorum omnes dicere tenentur, in die animarum, vt docet S. Thom. communiter receptus in quodlibet. 6. & vsus Romanæ Ecclesiæ confirmat : Si quis autem ad titulum sui patrimonij ordinatus, nec viuit de beneficio Ecclesiastico, potest dicere officium pro suo placito, dummodo approbatum sit ab Ecclesia, vt directorium lib. 1. capit. 8. & Nauarr. in Manuali Confess. loc. cit. num. 107. docent. Quicquid Sotus sine sufficienti fundamento in contrarium dicat. Hic notandum pro aliquibus, quod dicere nunc officium secundum antiquum Breuiarium Romanum Cardinalis Sanctæ crucis, non licet, quamuis quidam ob breuitatem idem amplectantur.

CAPVT IX.

DE LOCO, TEMPORE, ET
Ordine diuini officij.

PRIMA Conclusio. Personæ deputatæ ad
chorum rationabili cessante causa, debent
dicere

dicere in choro, capit. fin. 92. d. Etsi hoc non procurant obseruari Prælati, quibus ex officio incumbit, mortaliter peccant, ex Clemen. 1. de celebrat. missarum.

Secunda Conclusio. Personæ, quæ priuatim dicunt, possunt recitare in quouis loco decenti & honesto. Dicere autem in vicis, foro, aut alijs locis, vbi secularia tractantur, reprehensione dignum est, quia præstat impedimentum necessariæ attentioni, & repugnat dignitati tanti numeris.

Tertia Conclusio. Tempus priuatim dicendi horas ad euitandum peccatum mortale, est integer dies naturalis, incipiendo à media nocte ad mediam. Dictum ad euitandum mortale. Quia, qui sine causa non dicit horis debitis & consuetis, venialiter peccat, iuxta Nauarr. & Sotum.

Quarta Conclusio. Qui honestis occupationibus deditus est, vt eis melius vacare possit, si priuatim dicat officium, potest mane omnes horas absoluere, vsque ad completorium exclusiuè, capit. 1. de celebrat. missarum, & DD. ibid. Quando autem non est vrgēs necessitas, decentius est, vt manè tantum horæ absoluantur vsque ad vesperras exclusiuè.

Quinta Conclusio. In dicendis horis melius est præuenire tempus, quàm postponere, quando horis debitis propter occupationes dici non possunt: Tempus autem debitum & congruum

gruum est, quando viri sancti & timorati pro consuetudine patriæ, aut prouinciæ, dicere solent. Conclusio posita asseritur à S. Thoma communiter recepto quodl. 5. art. 28. dum ait, melius est anticipare laudes Dei, & postea alium actum studiosum agere, quàm vnum per alterum impedire. Ea de causa secundum communem sententiam non est peccatum, imò meritum, vt ait Nauarr. propter honestas occupationes, matutinas horas vespere præcedenti recitare, & mane vsque ad vespas exclusiuè reliquas absoluere: Si quis tamen hoc sine rationabili causa faceret, vt diutius dormiret, & voluptati indulgeret, venialiter peccaret. Quando autem matutinæ dicuntur vespere præcedenti, parum refert, an fiat post, vel ante cœnam. In hac re quisque suæ commoditati prospicere potest, vbi & hoc obseruandum, licitū esse vespere præcedenti matutinas legere, vsq: ad laudes exclusiuè, & sequenti die incipere, à laudibus, Deus in adiutorium, &c.

Sexta Conclusio. Qui publicè in Ecclesia diuina officia persoluunt, debent absoluere horis debitis, nisi rationabilis causa intercedat, cap. i. de celebr. missarum. Vnde Syluest. & Angel. in verb. Horæ canonicæ. Dicunt prælatos Ecclesiarum mortaliter peccare, si non curant officium fieri debitis horis in Ecclesijs. Debitæ autem horæ, moraliter accipi-

O o z cipi-

cupiendæ sunt pro consuetudine patriæ. Ex dicta conclusione cum Nauarro de oratione, & horis canonicis, cap. 3. num. 50. infero non licere anticipare diuina officia ob spectacula, hassiludia, & alia profana: Eadem est ratio, de executionibus criminalibus; quia his & similibus interesse clerici non debent, capit. Cum decorem. capit. penult. de vita, & honest. clericorum. capit. Sententiam sanguinis. Ne clerici, vel monachi, capit. 1. de Torneamentis.

Septima Conclusio. Ordo non est in præcepto sub peccato mortali, vt DD. docent cum superiori consensu eis, qui priuatim recitant, quauis sit peccatum veniale sine causa mutare: Quia qui ordinem mutat, non mutat substantiam officij, sed tantum accidentalia, vt Caietanus receptus ab alijs in verb. Horæ canonicæ, tradit. Sicut etiam accidit, si quis deberet dicere, de festo alicuius Sancti, & diceret de feria: In hac re tamen est cauendus error quorundam, qui etiã in publicis officijs aliquando ob breuitatem eligunt de sanctis, quando de feria dicendum; aut ex festo nouem lectionũ faciunt trium. Eadem est ratio, si quis ex incuria, aut negligentia, Sextam ante Tertiam recitet non est plusquam veniale. Ex hac conclusione elicitur quod si quis canonicus, vel monachus celebrasset, & interim alij cecinissent Tertiam, & ipse veniat ad chorum, quando Sexta incipitur, ad conformãdum se choro potest

potest cum alijs cantare Sextam, & deinde Tertiam legere; nec iterum tenetur, legendo Sextam subiungere.

Octava Conclusio. Missam celebrare ante matutinas & laudes, est peccatum mortale. S. Antonin. 3. part. tit. 13. capit. 4. Syluest. in verbo missa, & hæc est communis Summissarum opinio. Hanc etiam communem esse DD. sententiam, attestatur Gabriel super canonem missæ. lect. 13. & Nauarr. de orat. & horis can. cap. 21. num. 30. Docent tamen Syluest. Nauar. & alij si aliquis casus rationabilis, vel causa incideret grauis, vt pro vitando magno scandalo populi, tunc non esse peccatum mortale. Pro confirmatione conclusionis, allegat communis sententia generalem Ecclesiæ consuetudinem, quæ obtinet vim legis. d. 2. can. in his rebus. A communi sententia recedit Dominicus Sotus q. d. artic. 4. sed malè, sine ratione sufficienti, & textu: quare communis tenenda.

Nona Conclusio. Missam celebrare ante Primam, non est peccatum mortale. Gabr. loc. cit. Sotus. Nauar. cap. 3. de orat. Syluest. verb. Missa. quæst. 6. Angel. ibidem. §. 42. Conclusio constat. Quia nulla est ratio, quæ moueat, nec textus, qui probet contrarium: Si autem alibi esset statutum, quod præscriberet, ei standum esset.

Esset tamen peccatum veniale ante Primam

celebrare, nisi sequeretur scandalum, aut nimia retardatio populi, aut occupatio necessaria vrgeret. Quare Nauarr. attestatur, se nunquam ausum fuisse consulere, nisi aliqua ex prædictis, aut similis causa cõcurreret. De alijs horis, qui priuatim dicit, potest disponere pro deuotione, & commoditate. Aliqui communiter post Tertiam, missam celebrant: alij post Sextam. In collegijs, & monasterijs, quando Nona post prandium canitur, vt plurimum missa post Tertiam canitur; Quantum ad alias orationes, quæ missæ præmittuntur, pro præparatione Sacerdotis, scilicet quinque illi Psalmi. Quam dilecta, &c. Benedixisti, &c. Inclina aurem, &c. Credidi, & De profundis, &c. dicuntur ex institutione Papæ Cælestini, & non est præceptum de his, sed causa deuotionis dicuntur. Sunt autem quinque secundum Innocentium; vt quicquid immundum quinque sensuum transgressione commissum est, quinque Psalmorum oratione detergatur.

Preces verò & Collectæ, quæ illis adiunguntur, pertinent ad impetrandam cordis munditiam.

CAPVT X.
DE INTEGRITATE
Horarum.

PRIMA Conclusio. Qui voluntariè per negligentiam aliquam horam, aut eius notabilem partem omittit, mortaliter peccat secundum communem DD. sententiam. Quia agit contra præceptum Ecclesiæ, quod sub mortali obligat.

Secunda Conclusio. Qui omittit septem horas vno die, vnum tantum peccatum mortale committit, grauius tamen quam si vnam tantum, aut eius notabilem partem omitteret, communis est DD. opinio. Quia cum septem horæ canonicæ sint vna oratio in septem horas diuisa, omissio illarum erit vnum peccatum. De peccato autem commissionis alia ratio est: Quia toties mortaliter peccat, quoties determinat, & proponit non recitare omnes, vel aliquas, aut notabilem partem, & tenetur illas determinationes confiteri, licet deinde mutauerit sententiam, & illas absoluerit.

Tertia Conclusio. Qui vno die sciens & volens horas canonicas omisit, non satisfacit, si sequenti die bis recitet, vt communiter DD. sentiunt. Quoniam horas dicere, est opus temporali coniuñctum: Nec est etiam de ne-

cessitate, sed consilio, vt confessarius tali imponat, vt omissam, aut omissas horas repetat: sed potest alia pœnitentia pro quantitate omissionis imponi, iuxta doctrinam S. Thomæ quodlib. 3. art. 29. receptam.

Quarta Conclusio. Omittens horam aliquã, aut notabilem eius partem per ignorantiam, incogitantiam, vel obliuionem, non peccat mortaliter, sed tantum venialiter; Sic sentiunt. S. Antoninus 3. part. tit. 13. capit. 4. §. 5. Angel. verb. Horæ canonicæ. Syluest. eod. verb. quæst. 12. Paludan. in 4. d. 15. quæ. 3. art. 2. Nauarr. in Manuali Confess. cap. 25. num. 99. & de orat. & hor. canon. cap. 10. num. 48. Est autem tale peccatum veniale eo grauius, & leuius, quo ignorantia, incogitantia, aut obliuio, magis aut minus culpabilis: etsi nulla esset culpa in eis, nulla quoque esset culpa in omissione iuxta Doctores: Sic si quis vrgente necessitate occuparetur, in rebus honestis ad vtilitatē vel propriam, vel publicam spectantibus, & sic obliuisceretur, nulla foret culpa. Ex eadem radice, dico si quis se inuolueret rebus secularibus, vt conuiujs, ludis, aut potationibus, & si obliuionem horarum quasi implicite procuraret, non excusaretur à mortali, quia esset voluntas interpretatiua in causa obliuionis, quæ sufficit ad rationem peccati.

Ex eadem conclusione infertur, quod si quis egreditur chorum antequam aliqua horarum

rarum finiatur, vel tardè accedit, ita vt notabilis pars omittatur, non solum amittit quotidianas distributiones, sed etiam mortaliter peccat; si postea non supplet per se omissum: Imò qui sic chorum sine vrgenti & iusta causa egrediuntur, trahuntur à Diabolo, & eius infligationi consentiunt, vt testimonio Diui Gregorij instruimur in 2. Dialogorum, vbi vitā Sancti Benedicti describit; qui vidit Diabolum monachum per extremam partem cucullæ à choro extrahentem, ante finem officij. Talis enim Monachus ad orationem stare nō poterat, sed mox, vt se fratres ad studium orationis inclinabant, ipse foras egrediebatur, & mente vaga, terrena aliqua, & transitoria agebat. Quadam die expleta oratione, Sanctus Benedictus oratorium egressus monachum foris stantem reperit, quem virga percussit: Ex illo die vltius à nigro puerulo (is enim erat Diabolus molestans) nihil pertulit, sed ad orationis studium immobilis permanfit: Sicque antiquus hostis dominari, nō ausus est in eius cogitationibus, ac si ipse percussus fuisset ex verberibus. Hæc ex S. Gregorio: Consentit huic doctrinæ S. Antonin 2. part. tit. 9. cap. 12. §. 3. Ex quibus constat eos, qui inconstantes in diuino officio sunt, ac currunt huc illucque à Spiritu inconstantia trahi & moueri, nec tam diuina, quàm mente vaga temporalia & transitoria cuoluere.

Quinta Conclusio. Qui recitando, aut cantando omittit vnam, aut alteram dictionem, aut partem versus etiam sine voluntate repetendi non peccat plusquam venialiter, modo absit contemptus; aut notabile scandalum; vt rectè tradit Nauarr. in Manuali Confessar. capit. 25. num. 98. & alibi. Quicquid dicat, S. Antonin. 2. part. tit. 9. capit. 12. §. 3. Quia quamuis horarum integritas de præcepto sit, imperfectio tamen actus in hoc præcepto, sicut in alijs à mortali excusat.

Sexta Conclusio. Non satisfaciunt præcepto de recitandis horis, sed mortaliter delinquant, qui sine animo repetendi eas, dum cantant, aut recitant, omittunt tantam partem dictionum aut versuum, aut Psalmorum, vt notabilis pars omittatur: Quia non persolunt integras horas: Hinc peccant grauiter, qui transcurrunt in cantu, aut lectione, synopando dictiones, aut syllabas deglutiendo in principio, aut sine absorbendo, vel ita cecleriter expediunt, vt articulatae voces non percipiantur ab audientibus; vel suos versus incipiunt antequam chorus, vel respondens finiat: quales abusus multi committuntur in Collegijs, & monasterijs, vbi nihil aliud attenditur, quàm vt finis acquiratur, & hora transeat, sed an benè vel malè non curatur. De his abusibus tollendis est præceptum, in capit. Dolentes. de celebrat. missarum, & in Clement.

ment. I. eodem tit. & in Concilio Basilenf. feff. 21. titul. Qualiter horæ dicendæ. Confirmat hæc, visio relata à S. Antonin. loc. cit. de quodam sancto Patre, qui vidit in choro Dæmonem multa imponentem sacco, & cum interrogaret quid imponderet: Respondit, syllabas, & verba, quæ hi; vel illi omittunt, vt eos, eius rei in futuro iudicio accusaret. Dicitur in cōclusionē (sine animo repetendi eas.) Quia qui cum tali animo cantat, aut recitat, non peccat mortaliter: Qua de causa si quis incideret in aliquem numerum canonicorum, vel aliorū Ecclesiasticorum, vbi tales defectus notabiliter committerentur, nec esset in sua potestate corrigere: aut moraliter non posset propter incorrigibilitatem, & peruersam consuetudinem sociorum, mortaliter non peccaret, si officium cum alijs prout possibile compleret, habito animo eas repetendi per se iuxta doctrinam Nauarr. in d. cap. 25. num. 99.

Septima Conclusio. Qui canit in choro, vel recitat extra chorum horas cum alijs, satisfacit præcepto de lectione horarum, quando versum sui chori canit: aut si extra chorum legit, & alterius audit, nec tenetur recitare versum, aut lectionem correspondentis, sed tantum audire. Sufficit etiam audire orationes, capitula, versus, responsoria, & similia, quæ pro consuetudine chori vnus, aut duo, aut alter tantum chorus canere consuevit:

Pro-

Probatnr conclusio ex consuetudine generali totius Ecclesiæ: & Damasus Papa, vt in vita ipsius legitur, instituit, vt in Ecclesia Psalmi alternatim canerentur: Additum in conclusione, (qui versum sui chori canit, & alterius audit) Quia si non attendit, vt distinctè & articulatè audiat, non satisfacit præcepto. Ex qua causa, & alijs rationibus rarò satisfaciunt, qui canunt cum alijs, qui modo dicto syncopando, syllabas deglutendo, aut versus anticipando, celeriter transcurrendo absoluunt, vt articulatam vocum pronunciationem audire non possint: Eadem est ratio, quando vt in multis locis contingit, pueri lectiones canunt, qui legere ignorant: aut ita canunt, vt ab audientibus intelligi nequeant: tunc enim idem est, ac si murus sonum confusum reddat: Simile iudicium est, quando pueri ob ignorantiam, aut moderatorum negligentiam, in choro tantum pro lectione duas, aut tres lineas canunt, & statim subiungunt. Tu autem Domine miserere, &c. Quia tali lectione integritas officij tollitur: Lectiones enim cum esse debeant ex institutione Ecclesiæ ad ædificationem audientium, qua de causa, & in medio chori leguntur, nec nimis breues esse debent, vt sensu & verbis ædificare possint, nec nimis longæ, vt impatientiam, & molestiam audientibus generent, sed mediocres pro obseruatione & præscriptione breuiarij.

Octava Conclusio. Qui legitima & iusta de causa occupatur in Ecclesia circa officium diuinum, aut spectantibus ad illud, si in principio, aut medio, aut etiam fine officij, non cōcurrat in officio cum alijs: aut quid paruuum omittat, non tenetur de necessitate, omissum repetere. S. Antonin. commniter receptus loc. cit. Nauar. in tract. de oratione & horis can. cap. 11. num. 36. & alij alibi. Quia vt Innocent. in d. cap. Dolentes. docet, defectus quasi per alios suppletur, & alter alterius onera portat. Ac sic in vno eodemque corpore, charitas facit omnia communia. Hinc excusatur, qui accipit prunas ad thurificandum, aut transfert libros ab vna parte ad aliam, aut thurificat pro consuetudine Ecclesiæ, dum alij cantant: aut fortè quis quærit Psalmum, quem statim pro voluntate, inuenire non potest: Vel pro more monasteriorum aliqui fratres eunt, ad pulsandum campanas: Si quis tamen maximam & notabilem partem omitteret, cautum esset resumere eam partem finitis horis. Si quis autem per negligentiam in choro aliquid omittit, nō suppleat in choro subtrahendo vocem, aut lectionē choro, sed postea suppleat, si omissum sit notabile: Si verò versus vnus aut alter, vel quid minimum, in fine suppleatur per aliquē Psalmum, vel Pater noster, &c. secundum moralem æquiualentiam. Quando autem quis sine causa iusta excusante, officij aliquam partem

tem notabilem omisit: aut notabiliter male dixit, si vult euadere peccatum mortale, debet repetere ex integro, & bene absoluere, vt DD. tradunt.

CAPVT XI.

DE ATTENTIONE RE²VI. *sita, ad lectionem horarum canonicarum.*

DE hac materia legendi Sotus de iustit. & Iure. lib. 10. q. 5. art. 5. Nauar. in tract. de orat. & horis canonicis, cap. 13. Ioan. Medina in C. de pœn. tract. 6. de oratione, q. 14. & Summistæ in verb. Horæ canonicæ.

Pro intelligentia materiæ, præcognoscendum in primis, quod oratio est duplex, Mentalis, & Vocalis. Cū ergo horæ canonicæ ad vocalem orationem spectent, videndum, an ad vocalem orationem necessaria attentio, deinde descendendum ad horas canonicas.

Attentio in oratione ad tria referri potest. Secundo notandum quod attentio orationis potest referri ad tria, in primis ad verba, ne quis erret in verbis, sed distinctè omnia proferat. Deinde ad sensum, siue significata verborum. Tertio ad rem, quam petimus in oratione, & ad finem orationis, qui est Deus. Omnes istas attentiones excepta secunda possunt habere non intelligentes linguam. Idco

Ideò & moniales possunt absolvere suas horas, quamvis non intelligant linguam latinā, rectius tamen meliusque attenditur ab intelligentibus.

Tertio aduertendum, quadruplex potest esse effectus orationis. Primus solutio debiti, vt satisfiat officio, & non committatur peccatum. Secundus communis omnibus actibus charitatis, mereri videlicet mercedem apud Deum. Tertius impetratio rei, quæ petitur. Quartus relectio quædam spiritualis, seu delectatio in mente, quæ multò frequentior & maior esse solet in mentali, quam vocali oratione: Quia mentalem, attentio actualis continuò comitatur.

Quarto loco præmittendum, attentionem adhuc triplicem esse, Actuale, Habitualem, & Virtuale. Actualis est, cum aliquis in voluntate elicit actum respectu eius, quod intendit, vt si quis oraturus intendit orandi actum, vel vult Deo agere gratias pro beneficijs: aut satisfacere suo officio. Habitualis est, quando remanet habitus ex actu attentionis frequentatæ inclinans ad similes actus. Virtualis est, quando aliquis ex virtute actualis attentionis præhabitæ procedit ad opus verbi gratia: Quando aliquis manè vult recitare matutinas preces elicit actum, quod velit Deo debitum obsequium persolvere, deinde in virtute huius attentionis reliquas horas recitat,

Quadruplex effectus orationis.

citat, non ponendo actum contrarium huic intentioni.

Prima Conclusio. Ad orationem, vt quis consequatur tres priores effectus sufficit, vt attentio in principio actualis sit, & deinde virtualiter perseueret in xta S. Thom. communiter receptum. 2. 2. quæst. 83. art. 13. Quia ad hoc, vt oratio consequatur istos effectus, requiritur, vt sit actio humana, sed non est actio humana, si non sit in principio actualis intentio. Nam habitualis, cum etiam possit esse in dormientibus, non sufficit. Quod autem in processu virtualis sufficiens sit, patet; quia hæc sufficit in alijs actionibus meritorijs.

Secunda Conclusio. Ad hoc, vt quis consequatur quartum orationis effectum, scilicet spirituales mentis refectionem, & delectationem animæ, requiritur actualis attentio ad verba, vel sensum eorundem, vel finem orationis. Quia mens non reficitur nisi homo mysteria capiat, vel diuinam consolationem hauriat ex amore vehementi: sed hæc nequam fieri possunt, sine actuali attentione. Hinc nascitur quod meditationes spirituales plus adferunt consolationis & dulcedinis, quàm vocales orationes, vt plurimum. Sic David in Psalm. In meditatione mea exardescit ignis. De hoc etiam effectum Paulus I. Cor. 14. cap. Si orem lingua (scilicet sola) mens mea sine fructu est.

Tertia

Tertia Conclusio. Attentio est in præcepto sub reatu peccati mortalis, omnibus canonicè persoluentibus horas, patet ex capit. De-
lentes, de celebratione missarum, vbi sic Pon-
tifex dicit. Districtè præcipimus in virtute o-
bedientiæ, vt diuinum officium nocturnum
pariter & diurnum, quantum eis Deus dederit, studiosè celebrent, pariter & deuotè: ex
quo loco DD. communiter præceptum de
attentione colligunt. Eadem est ratio, de om-
ni oratione ad quam quis tenetur ex debito.

Quarta Conclusio. Quando oratio non est in
præcepto, sed libera & in consilio, orans debet
attendere; alias peccat. Caietan. 2. 2. quæst. 83.
art. 13. Sotus loc. cit. conclus. sexta. Nauarr. de
orat. & hor. canon. cap. 13. num. 39. Iosephus
Angles in floribus Theolog. qq. in 4.1. part. in
tract. de orat. quæst. 5. conclus. 2. & alij alibi:
probat. Qui facit opus Dei negligèter pec-
cat, iuxta illud Hieremiæ, cap. 25. Maledictus
homo, qui opus Dei negligenter facit. Dein-
de orare est actus virtutis, ergò oportet vt fiat,
quando, vbi, & quomodo oportet, & cum re-
liquis circumstantijs, quas actus studiosus re-
quirit: Sed modus orationis est, vt fiat cum
attentione; tenetur enim quilibet orans pro
dignitate orare, ne irreuerentiam committat
in Deum, quem oratione alloquitur. Non
erit tamen culpa mortalis indecenter orare
in oratione tali animo distracto, etiamsi ali-

Pp quis

quis voluntariè diuagetur, & volens alia consideret, modò absit contemptus, vt Sotus & Iosephus Angles docent, sed veniale peccatù: Ex hac conclusione cum DD, infero, quod licet interdum ad recitandum, aut orandum, non obligemur; quoties tamen id fecerimus, rectè & cù attentione facere tenemur. Eadem est ratio, quando quis missam etiam ex consilio, & non præcepto audit, tenetur enim audire cum reuerentia debita & attentione: aliam malè facit.

Quinta Conclusio. Vt Ecclesiastico præcepto satisfiat, non tres illæ attentiones in secundo notabili positæ simul requiruntur, sed quilibet earum est sufficiens ad satisfaciendum. Caietan. Nauarr. & alij.

Sexta Conclusio. Omnes qui horas canonicas recitant ex præcepto, attentionem habere debent ad verba, ne in eis errent, sed ea distinctè proferant. Ratio est, quia hac intentione deficiente, orans exponit se periculo non dicendi quod dicendum est, vel non rectè pronuntiandi, quod culpa non caret in eo, qui ex proposito non attendit.

Septima Conclusio. Attentio ad sensum & significata verborum, licet utilis & bona sit, non est tamen semper ab omnibus necessariò habenda: Nam multi religiosi, clerici, & moniales latinè, aut græcè orantes, sensum verborum non intelligunt, & tamen satisfaciunt

præcepto, si ad verba attendant, vt rectè pronuncient, & ad Deum, cum quo loquuntur: Dicitur autem quod hæc attentio vtilis sit; tum quia plurimum promouet alias attentiones: tum quia deuotionem excitat, tædium releuat, quo vt plurimum non intelligentes sensum verborum afficiuntur.

Octaua Conclusio. Qui primâ, vel secundam attentionem habet, non debet in his persistere, sed animum habere, & propositum ascendendi ad vltimum, scilicet finem orationis, qui est Deus, vt notant Caietan. Nauarr. & Iosephus Angles: Quia hæc vltima & tertia attentio ad Deum maximè necessaria est: Quare qui orationem suam incipit, mentem in Deum eleuare debet, ei que suum obsequium offerre.

Nona Conclusio. Præceptum attentionis in officio diuino canonicè persoluendo, duo includit, nempe, vt in principio orationis sit actuale siue expressum, aut virtuale siue tacitum attendendi propositum: Quia oratio est actus virtutis, vt insinuat, quare debet fieri cum deliberatione, proposito, & fine conuenienti, & secundum quod huc annectitur, est, ne hoc propositum consulto, & voluntariè interrumpatur, per actum expressè vel virtualiter contrarium: Sic communiter DD. sentiunt. Ad actuale autem, vel virtuale propositum sufficit, vt quis petat, vel

capiat breuiarium, cum animo expressè satisfaciendo suo officio: aut dicendi horas canonicas secundum præscriptum Ecclesiæ: vel simile quid faciat, de quo si interrogaretur, responderet se facere id, vt seruet Ecclesiæ præceptum de dicendis horis, quod est virtuale, vel tacitum propositum. De hoc latius Narr. de orat. & hor. ca. 13. à nu. 16. & Iosephus.

Decima Conclusio. Qui dedita, aut data opera nullum habet attendendi propositum in dicendis horis, non satisfacit præcepto, sed tenetur eas recitare, seu redicere, vt aliqui loquuntur. Quia non seruatur præceptum de debita attentione habenda iuxta dicta. Hinc infero cum Soto, & alijs, quod quoties quis dedita opera mentem ab attentione non dimouet, præceptum orandi non omittit.

Vndecima Conclusio. Qui inter orandum exercet opus attētionis orationis repugnans, aut ei impedimentum præstans, tenetur reiterare, Quia hoc faciens scienter, voluntariè vult carere proposito attendendi, & ex consequenti non vult seruare præceptum Ecclesiæ. Hinc si quis inter orandum scribit, legit literas, fabulatur, aut simile quid facit, quod attentionem debitam interrumpit, non satisfacit, vt constat ex Concilio Basiliens. loc. citat.

Duodecima Conclusio. Si quis in horarum recitatione, mente euagetur inaduertenter, ita quod non aduertat se euagari, & statim quando

do aduertit, se ad propositum reducit, ac cogitationes cum dolore repellit, nullum committit peccatum, sed meretur; Quia talis euagatio est inuoluntaria. Ad peccatum autem aliquis voluntas requiritur. Oriuntur autem huiusmodi mentis euagationes: vel ex suggestione Dæmonis; vel ex infirmitate humana: Si autem quis se exhibeat negligentem in repellendis huiusmodi cogitationibus, & in executione attentionis, committitur peccatum veniale, vt rectè Caietanus in verbo Horæ canonicæ, tradit. Quod tantò maius est, quanto maior negligentia, quæ intercedit.

Decimatertia Conclusio. Qui dubius propter mentis euagationem, an aliquem Psalmum aut Psalmos, vel versus, aut lectionem dixerit, si habet probabilem coniecturam se dixisse, utpote quia in initio habuit propositum attendendi, & horas se incepisse recordatur, & librum semper tenuisse, aut reperit se in fine Psalmi, aut lectionis esse, nō tenetur repetere, aut redicere, imò si timidioris sit conscientiæ, malè facit reiterando, quia aperit portam inimico ad tētationem, qui solet timidis conscientijs in hac re multos scrupulos iniicere, vt mentem interturbet inter orandum: Quare vt Parisiens. in 4. d. 12. quæst. 7. docent quos sequitur Nauarr. in capit. 13. de orat. & horis canon. à numer. 30. qui rectè vult attendere ad horas non se occupet in cogitando, aut per-

pendendo, an attēdat, necne: Sicut enim tran-
 scunt per summitatem aliquarum trabium,
 pro pontibus in aëre distentiarum citius ca-
 dunt, si cogitent & metuant de casu: Sic reci-
 tantes horas, si cogitent de errore, & metuant
 errare, facilius in errorem cadent: Ex his con-
 tingit, quod aliqui timidi bis, aut ter quando-
 que Psalmum incipiunt, & in fine quando
 Gloria Patri, &c. dicendum, incidit tentatio,
 non recitatos esse versus præcedentes: Quibus
 hoc contingit consulendum, imò à Confessi-
 rijs iniungendum, vt nullo modo repetant,
 sed reliquam partem horarum prosequantur.
 Cum hic sit modus apertissimus, quibus ma-
 lus spiritus teneriores solet vexare conscien-
 tias, & scrupulos injicere, vt in perturbatione
 sine fructu diuina persoluant. Vide latius DD.
 citatos, & Iosephum Angles loc. d. q. 5. diffi-
 cult. 4. conclus. 3. & Gabrielem super canon.
 missæ lect. 62. lit. N.

Decimaquarta Conclusio. Quando in officio
 aliquid breue interponitur, aut ad ipsum of-
 ficiū, vel finem eius spectans; vel saluti
 spiritali, aut corporali: aut honori; vel bo-
 nis fortunæ orantis, siue proximi necessariū,
 nec commodè potest protrahi, modo scan-
 dalum absit, & propositum habeatur conti-
 nuandi officium inceptum: non est officium
 redicendum, nec repetendum ab initio, sed
 continuandum à loco interrupto, nec culpa
 com-

committitur. Hinc si quis chorum ingredia-
tur, & salutet aliquem non peccat, nec si quis
breue aliquid dicat famulo, aut puero, cuius
fortasè horis absolutis non recordabitur: Ea-
dem est ratio excufationis, si quis vrgeatur
opere naturæ, dum horas legit, non tenetur
iterum incipere, aut si medicus potionem bi-
bendam offerat: aut animal in aquam cadat
erigendum, & de similibus similis est ratio:
Quia præcepta Ecclesiæ cum pro charitate in-
fituta sint, contra charitatem non militant.
Vide Nauarr. loc. cit. cap. 16. à num. 66. & Io-
sephum difficult. 5.

Decimaquinta Conclusio. Quando interposi-
tio est impertinens, si potest commodè pro-
trahi, etsi sit breuis, non caret culpa veniali.
Cum oratio debeat esse continua, utpote col-
loquium cum Deo, cui admisceri imperti-
nentia, & aliena sine causa, irreuerentia quæ-
dam est, & huiusmodi interpositionis debi-
tam intentionem impediunt. Non tamen in
casu huius conclusionis hora erit redicenda,
si interruptio fuit cum animo continuan-
di: Dico hic ut alibi, cum animo continuan-
di: quia si quis etiam breuiter & iusta ex cau-
sa, aliquod opus interponeret determinans
non continuare horam inceptam; nec fa-
tisfacere pro tunc obligationi, tenetur ab-
soluto opere denuo incipere: quia actus a-
gentium non operantur, nec extenduntur

ultra eorum intentionem. l. non omnis. ff. si certum petat. & l. in agris. ff. de acquiren. reru domin. Idem est iudicium de alijs operibus debitis, si quis eadem incipiat, & inceptis mutet animum satisfaciendi, non satisfacit, sed de nouo incipere tenetur seutalia sint, quæ continuationem ex sua natura requirunt.

Decimasexta Conclusio. Quanto interpositio est ad eò longa, vt iudicio boni viri officium discòinuet, aut diuidat, hora incepta erit repetenda: Quia talis oratio horæ, ex sua natura continua esse debet.

Decimasextima Conclusio. Quamuis Angelus in verb. Feriæ. §. 46. Syluest. in verb. Missa. 2. in fin. Aurea Armilla in ver. Festum. & alij alij alibi, doceant peccare mortaliter, nec satisfacere eum officio, qui in missa de præcepto, recitat horas: aut pœnitentiam, aliasque preces debitas, tamen dicimus posse aliquem hisce duabus obligationibus satisfacere, nec propterea esse obligatum, vt recitat horas: Sic tenent Nauarr. in Manuali Confessar. capit. 21. numer. 8. & de oration. & hor. canon. cap. 19. à num. 178. Dominicus Sotus in 4. d. 13. quæst. 2. artic. 1. Petrus à Soto de iustit. Sacerdotum, lect. 2. de satisfactione, Caietan. Tomo 2. tractat. 4. de valore orationum dictarum ab audientibus missam in die festo, & alij alibi. Ratio, quia potest quis vnico actu duobus præceptis satisfacere, quando non est repugnanti-

tia, vt in præfenti cafu : in quo facilè fieri potest, vt vtrique neceffaria attentio adhibeatur. Quandoquidem nemo tenetur de præcepto audire, aut intelligere, quod Sacerdos canit, aut dicit, cum laici longè diftantes ab altari, nec linguam intelligentes, præcepto de audienda miffa fatisfaciant. Satis autem eft ad præceptum de audienda miffa è longinquo in Ecclefia celebranti affiftere, & furgendo & genua flectendo intentionem dirigere ad celebrantem, offerentē, &c. quæ omnia ficut alia, poffunt fieri, cum recitatione horarum canonicarum, & orationum debitarum, & confirmatur: Si enim horæ & orationes debitæ, vel ex præcepto; aut impositione pœnitentiæ, miffæ neceffariam attentionem tollerent, malè etiam facerent, qui legerent in miffa orationes ex deuotione: vel dicerent rofarium, quoniam hæc etiam, vt dictum eft, attentionem requirunt. Hoc tamen dicere eft contra confuetudinem omnium fidelium, doctorum, & indoctorum: Tamen nifi quis neceffitate prematur, non eft facilè alicui confulendum, vt tempore miffæ, quam ex præcepto Ecclefie audire tenetur horas recitet: aut pœnitentiam iniunctam impleat. Quia contraria opinio graues etiam profe habet Doctores, & fuis probabilibus confirmatur fundamentis, tum quia melius eft duo præcepta diftinctis temporibus implere, tum etiam quia Caietan. tra-

dit talem venialiter peccare, nec mereri sic recitando horas: Quod Nauarr. putat tantum procedere in eo, qui nulla iusta de causa, sed postea otietur, aut antea otiatuſ est, eodem tempore duo præcepta implet.

CAPVT XII.

DE RESTITVTIONE FRV.

*Etuum facienda ab eis, qui horas
canonicas non reci-
tant.*

HÆc res tangit Clericos beneficiatos, qui fructus ratione suorum beneficiorum percipiunt: quia alij clerici existentes in maioribus, qui nihil ab Ecclesia habent, licet mortaliter omittendo horas peccent, non tamen ad vllam restitutionem obligantur.

Prima Conclusio. Olim ante Concilium Lateranen. sub Leone X. fuit opinio inter DD. an clerici beneficiati omittentes horas canonicas tenerentur ad restitutionem fructuum? Partem affirmantem tenebant Ioan. Calderinus in capit. 1. de celebratione missarum. Dominicus Geminianus in capit. vltimo de rescriptis in 6. Glossa in pragmatica sanctione in titul. Qualiter horæ canonicæ sint dicenda.

enda. colum. 2. Angel. in verbo Horæ cano-
nicæ. §. 11. Adrian. in 4. sentent. in tractat. de
restitut. in quæst. An clericus teneatur resti-
tuere, quicquid ultra victum de redditibus be-
neficij consumpserit, & alij alibi. Hæc opinio
attestante Decio in cap. Cum omnes. de con-
stitut. lect. 2. verior est. Negantem partem te-
nuerunt in d. capit. 1. de celebratione missarū,
Panormitan. & Cardinalis Felinus in cap. Po-
stulasti. num. 7. de rescriptis. Syluester verb.
Clericus. 4. quæst. 23. & alij alibi, & hæc com-
munis fuit opinio ante illud Concilium, vt
attestantur Nauarr. de orat. & hor. canon. cap.
7. num. 34. & alibi, & Didacus Couar. lib. 3. va-
riarum resolut. cap. 13. num. 10.

Secunda Conclusio. Nunc indubitanter di-
cendum secundum priorem opinionem,
quam Decius etiam veriore attestatur, cle-
ricum beneficiatum omittentem horas suas
canonicas, obligatum esse ad restitutionem
fructuum. Sic statuit Concilium prædictum
sess. 9. his verbis. Statuimus, vt nemo benefi-
cium curatum, aut simplex habens, qui elapsis
sex mensibus ab eius consecutione sine legiti-
mo impedimento officium diuinum recitare
omiserit, pro tempore, quo non recitauit, fru-
ctus suos faciat, imò eos impendere, tanquam
rem iniuste captam in fabricam beneficij, aut
Eleemosynas pauperum teneatur. Hoc statu-
tum confirmauit, & latius explicauit Pius V.

in singulari Bulla, quam ponit Nauar. in Manuali Confess. cap. 25. numer. 122. & deorat. locis cit.

Tertia Conclusio. Talis restitutio fructuum facienda est, pro rata omissionis beneficii, ubi gratia, qui matutinas omisit mediam partem illius diei, qua omisit; Qui tantum Primam, sextam partem fructuum restituat: Qui integra die omnes horas omisit, nullos debet facere fructus illius diei, & sic debet computare fructus suos, ut pro qua parte non dixit horas, non etiam fructus faciat. Sic Pius V. in haren. do statuto Concilij Lateranen. expressè declaravit.

Quarta Conclusio. Restitutio est facienda fabricis Ecclesiarum, ubi beneficia sita sunt, vel pauperibus, ut dicit Concilium & Pius Quintus statuunt: Quod non habet locum secundum Nauarr. quando pars accepta, & perdit ob omissionem horarum pertineret ad augmentum aliorum, tum enim huiusmodi fructus essent restituendi eis, ad quos de iure spectarent. Deinde secundum eundem Doctorem pauperes scholastici, si propter omissionem horarum fructus perdidissent, possent cum consilio & voluntate Confessarij, sibi reseruare fructus tanquam pauperibus, quando verè pauperes essent. Hæc de horis canonicis pro Confessarijs.

CAPVT XIII.
DE DISTRIBUTIONE
fructuum Ecclesiasticorum.

ANTE resolutionem notandum, quod beneficiarij tria bonorū genera possunt habere. Patrimonialia, quæ per successionem, aut propriam industriam, aut donationem, aut alios contractus eo modo, quo laici iusto titulo acquisiuerunt, iuxta capit. Episcopus. 12. quæst. 1. & capit. Quia nos. de testamentis. Alia Ecclesiastica, quæ de bonis suorum beneficiorum lucrantur; qualia sunt annui redditus. Alia quasi patrimonialia: vt sunt ea, quæ lucrificiunt missando, agendo capellanos, vicarios, aut alios actus spirituales exercendo, de quibus Innocent. & Hostiens. in d. c. Quia nos, & Panormit. in capit. Cum in officijs. de testament. Nauarr. de rebus beneficiarum, q. 1. numer. 5.

Deinde in principio nescētis Ecclesiæ omnia erant communia, vt Actor. 4. constat, qui status apud Sacerdotes, & clericos longo tempore, vsque ad Augustinum & Hieronymum durauit. Crescente autem clericorum numero ad tollendas rixas & lites, & sedandas discordias, quas rerum communio non rarò solet

let generare, fuit facta diuisio bonorū Ecclesiasticorum, & erecta beneficia. Fuerunt autē huiusmodi bona in quatuor partes distributa. Prima erat pro Episcopis. Secunda pro pauperibus. Tertia pro fabrica. Quarta pro inferioribus clericis, de hac materia vide 12. q. 1. capit. Quatuor. capit. Vobis. & capit. De rebus cum sequentibus.

Prima Conclusio. Episcopi & clerici, qui habent bona patrimonialia, possunt de beneficijs viuere, & bona patrimonialia conseruare; & de eis disponere pro sua voluntate, contra Richardum quodlib. 3. quæst. 20. & Angelum in verb. Clericus 3. Conclusio autem est communis, & eam tenent Innocent. communiter receptus, in capit. Episcopus, de præbend. Panormitan. ibidem. Decius ibidem, qui Innocentij opinionem fatetur communem. Felin. in capit. Postulasti. de rescriptis. Syluest. in verb. Clericus. 4. quæst. 10. Dominicus Sotus lib. 10. de iustit. & Iure. quæst. 4. articul. 3. in fine. Didacus Couarr. in capit. 1. de testament. numero 2. Nauarr. in Apologia libr. de rebus Ecclesiasticis, monitione 30. & alibi. Quia secundum Apostoli doctrinam, nemo tenetur suis stipendijs militare. Obstat huic Conclusioni in primis illud Hieronymi ad Damasum, quod refertur 2. quæst. 2. canon. Clericos autem illos conuenit Ecclesiæ stipendijs sustentari, quibus

bus parentum & propinquorum nulla suffragantur bona. Qui autem bonis parentum, & bonis suis sustentari possunt, si quod pauperum est, accipiunt, sacrilegium profecto committunt. Huic accedit aliud Prosperi relatum 12. quæst. 1. canon. Illi autem, qui tam infirmi sunt, ut suis rebus renunciare non possint, si ea, quæ accepturi erant, dispensatori relinquunt, nihil habentibus conferenda, sine peccato possident sua, quia & ipsi quodammodo sua relinquunt, quando proprijs contenti rebus, nihil eorum quæ labori, vel ordini suo deberi arbitrantur. Ad Hieronymi verba, illa intelligenda sunt, vel de consilio: vel in extrema pauperum necessitate, secundum S. Thom. 2. 2. quæst. 185. artic. 7 ad 3. vel loquitur de statu Ecclesiæ, quando adhuc in communi vivebant, & omnia sua in unum acervum conferebant. Prosperi item dictum refertur ad primum & perfectissimum Ecclesiæ tempus, quando omnia florebant, & cuncti addictissimi erant, ut consilij Apostolicis acquiescerent.

Secunda Conclusio. Ecclesiastici etiam efficiuntur Domini bonorum quasi patrimonialium; unde de eis sicut de patrimonialibus possunt disponere. Cynus in Authent. Licentiam de Episcop. & Clericis. Panormitan. in capit. Cum esses. numer. 26. de testament. Hostiens. capit. Quia. cod. Turrecrem. 12.
q. 5. in

q. 5. in summa. Nauarr. de reatibus Ecclesiasti-
 quaest. 1. nu. 7. & alij alibi: Ratio, quia illa con-
 feruntur eis, ex bonis temporalibus, vel spiri-
 tualibus, vti merces & stipendium laborum
 & operum personalium, aut vt compensatio
 eorum, quæ alia via acquirere sibi possent.

Tertia Conclusio. Quod dictum de quasi pa-
 trimonialibus, idem existimo de quotidianis
 distributionibus, licet Nauarr. in d. lib. quaest.
 1. numer. 74. corollario 19. contradicat: Quia
 conclusionem hanc probat text. in cap. vnico,
 de cleric. non residentib. in 6. Dominicus, &
 Philippus Francus ibidem. Barbat. capit. fin.
 de peculio cleric. Decius consil. 280. colum. 1.
 & alij alibi, & hæc opinio communis est, vt in
 capit. Cum in officijs. de testament. num. 4. ex
 alijs Couarr. tradit: Quia distributiones a ca-
 nonibus Ecclesiæ ministris conceduntur, ob
 illud ministerium, quod altari, aut diuino cul-
 tui impendunt, ex d. cap. vnico.

Quarta Conclusio. Idem est iudicium de pen-
 sionibus Ecclesiasticis, quas Pontifex solet
 constituere super beneficijs Ecclesiasticis Car-
 dinalibus; aut alijs personis eminentibus pro
 stipendio & meritis, aut Episcopis titularibus
 Suffraganeis, super mensa Episcopi, aut Ar-
 chiepiscopi, cui inseruiunt in spiritualibus.
 Hæc Conclusio est cōtra Nauarr. in dict. Apo-
 logia. quaest. 1. monitione 23. veriore præsen-
 tem conclusionem existimat. Ad hanc con-
 clusio-

clusionem etiam accedunt Hieronym. Gigas in tractat. de pensionibus. quæ. 52. & Couarru. in dicto capit. Cum in officijs. numer. 6. Constat, quia huiusmodi pensionibus conuenit definitio bonorum quasi patrimonialium, quia sunt bona quæ sita ratione actuum pertinentium ad personas Ecclesiasticas, ea ratione, qua Ecclesiasticæ sunt, & nõ ratione iuris percipiendi redditus bonorum Ecclesiasticorum. Argumenta, quæ contra hanc conclusionem militant facit Nauar. in d. Apolog. monitione 80. & soluit in d. 23. monitione.

Quinta Conclusio. Episcopi, & alij clerici, si alicubi sint bona pauperibus assignata, vt in hospitalibus; si eis in alium vsum vtantur quã destinatum, non solum peccat mortaliter, sed etiam tenentur ad restitutionem. 12. quæstion. 2. canon. de rebus. & sequen. & Clement. Quia cõtingit. de religiosis domibus, & communis sententia. Concilium Tridentin. sess. 25. cap. 8. de Reformat.

Sexta Conclusio. Beneficiarius, qui malè viuif, & in peccato mortali, non tenetur ad restitutionem fructuum, quos in tali statu percipit, contra Adrianum in 4. de restitut. quæst. 14. col. 9. & Cardinalem Alexand. in summa. 12. q. 3. Communis opinio est in contrarium. Nauar. in Manuali Confess. cap. 25. num. 123. & de rebus. Eccles. quæst. 1. num. 72. Sotus de iustit. & Iure. quæst. 5. art. 6. in fine. Syluest. in

Qq verb.

verb. Clericus 4. quæst. 24. & alij alibi. Quia Ecclesiasticus, vt fructus sui beneficij percipiat ad nihil aliud tenetur, quàm vt canonicè beneficium possideat, horas recitet, & alia officia peragat, quæ ex fundatione, aut erectione beneficium postulant: Quæ vt quis in gratia perficiat ad satisfaciendum, non est canon qui probet, nec ratio, quæ suadeat: verum est quod ad merendum apud Deum gratia necessaria est.

Septima Conclusio. Clerici beneficia habentes ex eorum redditibus tantum expendere possunt, quantum ad eorum honestum vitium, vestitum, cæterosque necessarios & congruos vsus sufficit: Quia redditus Ecclesiastici, attestante Innocentio in capit. Cum ab omni. de vita & honest. clericorum, principaliter assignantur, vt ex ipsis honestè vivere possint: Decentia autem status vniuscuiusque ab generali regula definiri non potest, eam sapiens & timoratus æstimabit consideratis circumstantijs: Et quoniam nimis afficimur ad nos ipsos, & ad extollentiam oculorum nostrorum, tutius est, atque salubrius cuilibet Ecclesiastico, declinare ad frugalitatem, & parcitatem status sui, vt aliquid relinquat pauperibus, vt rectè Gabriel in 4. d. 15. quæst. 8. conclus. 4. admonet. Conclusio probatur canon. fin. 12. quæst. 1. & capit. Videntes. ibidem. & in principio

d. 44. d. ex Hieronymo. Tibi ô Sacerdos, viuere de altari permittitur, non luxuriari: & S. Bernard. Epistola 2. ad Fulionem concludit his verbis. Denique quicquid præter necessarium victum, ac simplicem vestitum de altario retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est. Hanc conclusionem colligit ex canonibus Didacus loco citat. numer. 2.

Octaua Conclusio. Ecclesiastici habentes bona superflua strictius obligantur, ad dandum superflua pauperibus, & operibus pijs, quàm seculares secularia. Sotus lib. 10. de iustit. & iure. quæst. 4. art. 4. Nauarr. sæpius in Apolog. & de reuicib. Ecclesiasticis, & alij alibi: Probatum Conclusio. In primis maior charitas inesse debet Ecclesiasticis, ratione eminentioris status: qua de causa, etiam frugalius viuere debent, & pompam seculi contemnere, vt habeant unde tribuant necessitatem patienti: Ad hæc cum eorum vita continentia voto munita sit, nemini thesaurizare tenentur more secularium, quos posterorum cura tangit. Postremò quoniam in sacris canonibus bona clericorum singulari modo pauperum, & patrimonium Christi prædicantur, atque eis iniungitur, vt superflua pauperibus tribuant, vt est videre ex S. Augustino in capit. Quod autem. 23. quæst. 7. Non sunt illa nostra, sed pauperum;

Q9 2

rum;

rum; quorum procuracionem quodam modo gerimus, & ex Ambrosio eadem causa, qu. 8. capit. Conuenior. & in capit. fm. 12. quæst. 1. & 16. quæst. 1. cap. Quicquid habent clerici, pauperum est. Sexta Synodus in capit. Apostolica. 12. quæst. 2. tradit, redditus Ecclesiasticos esse ad vtilitatem ministrorum, & ob eam pauperum, & peregrinorum sustentationem. Ad idem accedit Clemens libr. 2. cap. 29. Constitutionum Apostol. & August. 16. quæst. 1. capit. Decimæ. De hac materia latissimè vide Nauarr. loc. cit. & 12. causam in decretis.

Nona Conclusio. Clerici habentes Ecclesiastica beneficia, si fructus honestam & decentem sustentationem excedentes, expendant in vsus profanos, aut illicitos, vt ad delicias, voluptatem, aut fastum, aut vt consanguineos & amicos ditiores reddant, aut augeant: Si notabilis sit excessus, mortaliter peccant, secundum communem DD. sententiam. Hanc conclusionem vt plurimum tenent Doctores citandi pro vtraque sententia sequentis conclusionis, nec est qui contradicat. Eam omnium latissimè confirmat Nauarr. de rebus. & in Apolog. quæst. 1. quæ est. An mortaliter peccent beneficiarij Ecclesiastici superflue, aut profane redditus suorum beneficiorum impendentes? Probant eandem conclusionem canones & Patres, quando volunt, & statuunt bona superflua clericorum in vsus pauperum erogandos.

gandos. Hieronymus supra citatus in d. 44. in principio. Tibi o Sacerdos de altari viuere, nō luxuriari permittitur. Luxuriatur autem quicumque vltra status decentiam, & necessitatem plus debitō expendunt in cibo, aut potu, aut pompam huius seculi exolunt, Augustin. sermone 37. ad Fratres in eremo. Memento quod pauperem vitam Sacerdos gerere debet, & ideo si superbam habet, si magno gaudet beneficio, præter victum & vestitum, quod super est, pauperibus dare non differat, quia omnia pauperum sunt, verbum autem illud, quod negare non debet fidelis, qui altari seruit, de altari viuat: omninō verū est. Bernard. in d. Epist. Veruntamen, inquit, quæ sunt illa beneficia? Ecclesiæ, rectè, quia surgis ad vigiliis, vadis ad missas, horis chorum nocturnis diurnisq̄ue frequentas, benefacis: Sic Ecclesiæ præbendam gratis non accipis; dignum est, vt qui altario deseruit, de altario viuat, conceditur ergo tibi, vt si benè deseruis altario, viuas; non vt de altario luxurieris, vt de altario superbias, vt inde compares tibi fræna aurea, sellas depictas, calcaria deargentata, varia, grisea, que pellicea à collo, & manibus ornatu purpureo diuersificata; denique quicquid præter necessarium victum, ac simplicem vestitum, de altario retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est. s. Ambrosius libr. 1. offic. capit. 3. Melius est vt ipse tuis subuenias, quibus pu-

Qq 3 dor

dor est, ab alijs sumptum deposcere, non tamen, vt illi ditiores fieri velint ex eo, quod tu conferre potes in opibus: Neque enim propterea te Deo dedicasti, vt illos diuites facias, sed vt tibi vitam perpetuam fructu boni operis acquiras, & pretio miserationis peccata tua redimas. Putant se parum poscere: primum quærunt tuum, contra accusant, quod eos diuites non feceris, cum te velint illi parentes, aeternæ vitæ fraudare mercede, & canon. Apostolorum. 37. Omnium negotiorum Ecclesiasticorum curam habeat Episcopus, & ea velut Deo contemplante dispenset, nec ei liceat ex eis aliquid omnino contingere: aut parentibus proprijs, quæ Dei sunt, condonare: Quod si pauperes sint, tanquam pauperibus subministret, ne eorum occasione Ecclesiæ deprædentur. Vide can. 12. quæst. 1. capit. Sint manifestæ, & can. Res Ecclesiæ, & quæst. 2. capit. Quisquis His & alijs adhæret Concilium Tridentinum sess. 25. capit. 1. de reformat. iubet secundum Concilium Carthaginense quartum & canones Apostolorum, vt Episcopi modesta supellectili, & mensa, ac frugali victu contenti sint, & vt nihil appareat apud eos, quod non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præferat. Omnino etiam interdicit, ne ex redditibus Ecclesiæ consanguineos, aut familiares suos augere studeant,

ant, cum & canones Apostolorum hoc prohibeant. Deinde idem Concilium monet, vt omnem humanum erga fratres, nepotes, propinquos, carnis affectum, vnde multorum malorum in Ecclesia seminarium extat, penitus deponant. Quæ verò de Episcopis dicta sunt: eadem non solum in quibuscunque beneficia Ecclesiastica tam secularia, quàm regularia obtinentibus, pro gradus sui conditione obseruari, sed etiam ad sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales pertinere decernit. Hæc Concilium. Ex dictis clarè præcedens Conclusio constat. Dubium hic esse potest, super quo quidam timoratus aliquando scrupulum mouit. An Ecclesiasticus possit de bonis Ecclesiasticis dotare sororem, aut consanguineam? Respondeo quod sic quando eget, & non habet aliunde: quia causa dotis est fauorabilior, quàm aliorum: vnde sicut potest alere debet etiam dotare, si indigentia sit, & in hære non est scrupulus ingerendus, lege ad hoc Panormitan. Anthonium à Butrio, & Ioan. Immolen. in capit. Peruenit. de arbitris. Syluestrum verb. Clericos 4. quæst. 15. & alios alibi. Imò quod plus, addo cum Nauarro in commentario de spolijs clericorum prope finem clericos non solum alere, sed etiam dotare posse filias spurias de redditibus Ecclesiasticis; quando aliunde non habent, vt ex patrimonialibus, vel qua-

Qq 4 si pa.

si patrimonialibus. Quia qui potest & debet filias alere, potest, & debet etiam dotare; cum dos succedat loco alimentorum secundum communem peritorum sententiam. De iure autem naturali Pater etiam filios spurios tenetur alimentare, capit. Cum haberet de eo, qui duxit in matrimonium; & communis opinio ibidem. Ergo potest etiam, imò tenetur si habet, & filia aliundè non habet, dotare, cum dos ad sustentationem necessaria sit. Quando autem Ecclesiastici suas sorores, aut consanguineas dotant, debent servare moderationem, ne cum scandalo secularium notabiliter ultra quam status eorum fert, augeant, exalcent: Alias sine dubio iuxta prædicta, culpam mortalem incurrerent.

Decima Conclusio. Quamvis secundum communem sententiam, & iam positam conclusionem Ecclesiastici, si redditus suorum beneficiorum superflue, aut profane impendant, mortaliter peccant: an tamen ad restitutionem sic impensorum teneantur, cum adhuc non satis strictè hoc definitum sit, problema esse in scholis potest, nec de parte negante quis erroris condemnari poterit: Evidens est conclusio, quia tam aiens, quam negans pars probatos habet Doctores, & tam auctoritates, siue etiam canones, quam rationes solvuntur, nec est certa Ecclesie definitio. Affirmantem partem quod sint obligati ad restitutionem tenent

gent Canonistæ. Archidiaconus cum Dominico Geminiano in summa 44. d. & idem Archid. in capit. statutum. §. assessorem de rescriptis in 6. vbi dicit contrarium esse hæreticum in iure canonico, & in capit. Præsenti. de offic. ordinarij in 6. ibidem, sequuntur ipsum Ioan. Andræas, Dominicus & Petrus Ancharanus, Panormitan. in capit. Cum secundum, de præbend. Ioannes Lignanus in Clement. Gratiæ. de rescript. Felin. in cap. Postulasti. numer. 6. eodem tit. Antonin. Burgensis in capit. 1. de empt. & vendit. num. 28, Alberic. in Dictionario suo verb. Clericus, Summa Angelica verb. Clericus. 3. §. 4. Summa Pisana eodem verb. 4. & hæc sententia est communissima apud canonistas. Ex Theologis sequuntur S. Antoninus 3. part. tit. 15. capit. 1. §. 19. & 2. part. tit. 2. capit. 2. §. fin. Alexander Halens. 3. part. quæst. 36. memb. 5. art. 2. & seq. Thomas Walden. Tom. 1. libr. 4. cap. 42. & 43. & c. Richard. in 4. d. 45. art. 3. quæst. 1. ad 1. Paludan. in 4. d. 24. quæst. 3. art. 3. Gabriel in 4. d. 15. quæst. 8. conclus. 5. Maior ibidem, d. 24. q. 17. qui testatur communem, Dionys. Carthus. contra pluralitatem beneficiorum artic. 11. cum Vdalrico, Petrus à Soto de institut. Sacerdotum in tract. de vita Sacerdotum. lect. 3. qui existimat contrarium dicere esse contra bonos mores, iustitiam, imò & sacram scripturam : Michael Medina lib. 7. cap. 21. de recta in Deum fide, &

Qq 5 vocat

vocat contrariam sententiam sacrilegam, & exclusisse Evangelicum ministerium ab eo tempore, quo in scholas irruperit. Franciscus Turrianus D. Theologus Societatis Iesu doctissimè ex sacris literis, & canonibus in Epistola ad Gonzalum Herreram Episcopum Leodicen. Achilles Stadius Lusitanus in Epistola de hac re ad Martinum Nauarrum. Omnibus latius & doctius ex proposito hanc partem prosequitur, ac probat dictus Martinus in libr. de reatibus Ecclesiast. quæst. 2. & in Apolog. eiusdem libr. quæst. 2. & in propugnaculo eiusdem Apologia. Quid S. Thomas in hac quæstione sentiat non satis est clarum: Quia pro vtraque parte citatur, vt patet ex Nauar. Soto, & Couarr. qui ipsum pro vtraque sententia citat.

Negantem partem non esse obligatos ad restitutionem, quamuis etiam mortaliter peccent, tradunt Franciscus Cardinalis Zabarella in Clement. Quia contingit. de religiosis domib. quæst. 2. & in Clement. Gratia. de re scriptis. numer. 12. vers. ad quintam. Præpositus in summa dist. 44. ad longum. Adrian. in 4. sentent. de restitutione in quæst. 12. incipienti: Pro clariori intelligentia dictorum. Dominicus Sotus libr. 10. de iustit. & Iure. quæst. 4. art. 3. latè & art. 4. conclus. 1. breuius. Didacus Couarr. in cap. Cum in officijs. de testament. Iosephus Angles in floribus 2. part. in 4.

in 4. sentent. in tract. de restitut. in quæst. de restitutions facienda propter negligentiam clericorum 9. difficult. & aliqui alij Hispaniæ Doctores, qui hanc materiam ad longum tractarunt. Ex dictis patet nihil adhuc certi esse determinatum, & vtramque partem probabilem. Rationes, quæ fiunt pro negante parte soluuntur à Nauarr. de redditibus Ecclesiasticis, q. 2. à num. 14. Quæ faciunt pro affirmante, solui possunt ex dictis à Soto, Gabriele, Adriano, & Præposito: Quare salua manet Conclusio.

Vndecima Conclusio. Communis sententia est magis conformis canonibus, & dictis sanctorum, & securior; quod teneatur ad restitutionem, sic enim attestantur S. Antonin, Archid. Gabriel & alij alibi: Quod etiam securior sit patet; quia in re dubia magis fauet saluti animarum, & necessitati pauperum. Ea de causa Gerson in tract. de temperantia prælatorum in victu, & vestitu: Quod ad restitutionem teneantur, non audet definire, sed dat locum consilio Augustini. Tene certum & dimitte incertum. Adhæc affirmans est communis, & grauiores ac plures tam Theologiæ, quàm canonum pro se habet Doctores, & canones sine vlla literæ torsione ei fauent, vt ex supra allegatis clarum est. Sed quoniam contraria sententia suis etiam non caret rationibus, & auctoritate probato-

batorum DD. fulcitur & benignior & mitior existit, vt Gabriel & Couarr. videtur, nullius conscientia grauanda, quamuis & consilium de eo, quod melius dandum; Non enim in rebus dubijs, quando pro vtraque parte graues DD. sunt, conscientia sunt oneranda: aut aliquid certi determinandum: Quia nec in his Ecclesia, quæ Spiritu sancto regitur, facile determinat, vt apertum est in solènni illa questione: de conceptione gloriosissimæ Mariæ Virginis, Sitne concepta in originali peccato vel non? cuius affirmantem partem Ecclesia non tanquam falsam damnat, sed ad negantem piè credendam, tanquam vero similiorem inuitat: Quoniam pro vtraque parte maximi DD. & necdum certi aliquid definitum est, vt clarum est ex Extrauagante Xysti Quarti, quæ incipit. Graue nimis, inter Extrauagan. communes de reliquijs & veneratione sanctorum: Quam Extrauagantem Concil. Trident. sess. 5. in decreto de peccato originali innouat.

Duodecima Conclusio. Quicumque clericum inducit, vt prodigè, & superfluè sibi aliquid donet de fructibus Ecclesiasticis, mortaliter peccat, quamuis non teneatur ad restitutionem, secundum negantem sententiam: Quia non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus digni morte, iuxta Apostolicam ad Romanos doctrinam, & iuridicam regulam, facientem & consentientem pari pe-

na constringi. Hæc Conclusio efficaciter colligitur ex dictis in 9. & eam exprimit Adrian. loc. citat. vers. pro solutione secundi. An is cui aliquid prodigè donauerit, &c.

Decimatertia Conclusio. Clerici de redivibus suorum beneficiorum possunt etiam remunerare de se benè meritos in rebus licitis & honestis, ex Gloss. in cap. Res 12. quæst. 1. Innoc. recepto in ea. Indecorum. de ætate & qualitat. ord. Cardinali cons. 110. & Nauarr. de redivibus. q. 1. num. 9. Ratio esse potest, quia remunerare bene meritos, spectat quasi ad honestatem & necessitatem ipsius clerici. Nemini autem dubium est, quod clericus possit fructus sui beneficij impendere in proprios & necessarios vsus.

Decimaquarta Conclusio. Secundum canones clericus habens beneficium Ecclesiasticum, non potest de redivibus eius, aut de bonis intuitu Ecclesiæ acquisitis proprio testamento disponere, capit. Relatum 2. de testamen. Panormit. ibidem, & latius in capit. Cum effes. ibidem, & hæc est communis sententia, vt attestatur Couarr. in d. cap. Cum in officijs. numer. 5. & Nauarr. de redivibus. q. 3. & in Apologia eadem q. & multis canonibus prohibetur clericis testari, capit. Episcopi cap. Sint manifestæ. 12. q. 1. cap. Quia Ioannes. capit. Fixum. 12. q. 5. cap. Ad hæc. capit. Quia nos. cap. Cum

in

in officijs. cap. Relatum secundum. de testa-
mentis.

Decimaquinta Conclusio. Non obstantibus
canonibus dictis pro honesta consuetudine,
licitum est clericis de redditibus sui beneficij
testari & disponere ad pias causas : aut in re-
munerationem benè meritorum in viuis im-
pensorum, aut etiam alias in modica quanti-
tate, vt quidam rectè tradunt, ex d. cap. Rela-
tum, & communi sententia. Consuetudo au-
tem talis tantum facit, vt possint testari ad
pias causas, & in remunerationem merito-
rum, quod de iure communi fieri non po-
terat. Verum Episcopis nec etiam licitum est
ad pias causas testari, nisi ad id à Romano Pô-
tifice licentiam habeant, vnde constat eis tan-
tum competere, quod ius commune regulari-
ter præscribit.

Decimasexta Conclusio. Si generalis alicubi
sit consuetudo, vt beneficiati de fructibus
suorum beneficiorum disponant, aut ab in-
testato hæredes succedant, siue beneficiarij
sint domini suorum fructuum, siue non, ex-
istimo & pro certo habeo, quod taliter dis-
ponentes mortaliter peccent, & etiam indu-
centes ad talem dispositionem, si in excessu
consanguineis relinquunt, nisi fiat intuitu
pietatis & paupertatis : aut tantum de pa-
trimonialibus, aut quasi in vsum Ecclesiæ: aut
pauperum contulerint : probatur Conclusio.
Talis

Talis consuetudo à communi DD. sententia reprobatur. Eam reprobant Hugo & Archid. in 12. quæst. 5. in summa. Aluarus Pelagius de planctu Ecclesiæ libr. 2. cap. 28. Panormitan. in cap. Cum esses. de testamen. in relect. Rochus Curtius in capit. fin. de consuetud. Hostiens. cum alijs in capit. fin. de peculio clericorum. Barbatus in tractat. de præstantia Cardinaliû, 1. part. quæst. 4. Philippus Francus in Rubr. de testament. in 6. vers. Vigesimo prohibentur testari, & alij alibi; & horum opinio magis communis est, vt Couarr. loc. citat. num. 9. & Nauarr. in d. quæst. 3. attestantur. Deinde probatur Conclusio. Ex iure communi, beneficiarius maiorem habet potestatem donandi in viuis, quàm testandi in morte, cap. Ad hæc. de testament. & cap. Relatum. 2. ibidem. & in capit. Quia Ioannes. 12. quæst. 5. & DD. ibidem. Sed secundum communem sententiam etiam tenētium beneficiarios esse Dominos suorum reddituum, beneficiarius peccaret in viuis, si amicis & consanguineis sine intuitu paupertatis, & pietatis, in notabili quantitate donaret, vt supra ex canonibus & auctoritate DD. probatum est: Ergo multo magis peccat: si in fine mortis, quando iam ratio reddenda de fideli administratione, in vsus profanos disponit, aut bona pauperibus secundum canones distribuenda cognatis, aut consanguineis diuitibus relinquit; Ad hæc
 si ta-

si talis consuetudo id licitum efficere potest contra ius, vt beneficiarius omni modo & liberè pro sua voluntate de bonis Ecclesiasticis disponat, ad quid distinctio illa & differentia bonorum patrimonialium, vel quasi, & Ecclesiasticorum, quam omnes DD. non modo veteres, sed etiam recentiores ponunt & admittunt, & attestantur quod de his disponere minimè nisi ad pias causas possunt, in alijs vero omnimodam testandi libertatem concedunt. At si talis consuetudo tam efficax est contra ius commune, canones, & DD. sententiam communem, vt licitè beneficiarius sine peccato mortali, in omnem causam & eventum in morte sua bona possit relinquere etià diuitibus & potentibus. Quid opus tanto labore in distinguendo, & conciliando? an maior pietas in vita quàm morte necessaria. Tollimus facultatem beneficiario in vita donandi ad profanas causas: & concedimus, ad eas relinquendi & testandi in fine vitæ: Si quis ergo quærat, quid huiusmodi consuetudo operetur, & quis eius effectus? Respondetur quod efficit, vt beneficiarius in morte per viam testamenti possit disponere ad pias causas, etiam in qualibet quâtitate de bonis beneficiorum, aut intuitu beneficiorum, acquisitis: Quod de lege communi non poterat: & sic cum consuetudo sicut etiam priuilegium debeat aliquid operari præter ius commune, id efficit.

Præ-

Præterea operatur, vt huiusmodi testamenta non deducantur ad iudicium, sed tolerentur ad declinandum seminarium litium: Quare etiam cautum est apud Hispanos lege regia in comitijs Vallisoleti habitis, capit. 47. vt huiusmodi consuetudo seruetur: Interim tamen relinquitur conscientijs beneficiariorum, an benè vel malè disponant: Si quis petat: quæ ratio; quare in iure, beneficiarijs maior sit cōcessa potestas donādi; quàm testandi: Respōdeo, quod Ecclesia prohibuit Ecclesiasticis facere testamentum de bonis Ecclesiasticis, quia disponderent, ac distribuerēt bona illa in tempus, quo nec verè, nec fictè eorum Domini futuri essent, nec etiam dispensatores, quippe qui bona illa non possideant, vt propria, sed tanquam aliena, à iure per obitum extinguenda, nec ad eorum hæredes transitura. Panor. mit. Petrus Ancharan. & alij Doctores in ca. Ad hæc de testamentis. Qui DD. cum textu pro certo habent, quod Ecclesiastici tantum sint dispensatores, & sic cum dispensatio taliū bonorum desinat per mortem, non potest transire in actum mortuo dispensatore. Cum autem dispensator, & administrator, sit in vita, potest in elemosynam, aut in remunerationem benè meritorum in moderata quantitate donare, etiam in morte cum tum habeat administrationem tanquam viuens bonorum sibi commissorum, nec sic distribuere & do-

R. r nare

nare repugnat bonæ fidei distribuentis: Cuius concedatur hoc in vsum pauperum & remunerationem benè meritorum, cum hæc quasi ad propriam necessitatem spectent. Prohibetur autem in d. cap. Ad hæc secundum DD. immoderata donatio in morte, propter suspicionem translationis bonorum in alios pro voluntate, in fraudem Ecclesiæ, & pauperum aliàs in vita donare, ad piàs causas, in qualibet quantitate est permiffam: cuius tamen contrarium statuitur in morte. Notandum tamen praxis posita à Panormitano, in dicto cap. Ad hæc. & Barbatio ibidem, quos sequitur Couar. in capit. Cum in officijs, quod quando in vita clericus aliquid donat, vt à viuente fiat actualis traditio bonorum, quæ donantur: aliàs talis donatio non sortiretur effectum. Deinde hoc fuit prohibitum, vt Nauar. de re ditib. Ecclesiasticis. quæst. 3. num. 2. tradit, ad inuitandum eos ad liberalitatem in vita exercendam, & ad euertendum à nimio desiderio bonorū temporalium, dum perpendunt vsum fructū tantum eis relinqui sub conditione, ne dispo- nere decedentes è vita pro proprio arbitrio valeant.

Hæc de distributione bonorum Ecclesiasticorum sufficiant, ex quibus & alijs, quæ tam Doctores, quàm canones tradunt elicuntur, cum quanto timore bona Ecclesiastica distribuenda, cū quanto periculo possideantur,